*AUTHOR:*

BLUDAU, ALOIS

*TITLE:*

DE FONTIBUS FRONTINI

*PLACE:*

BRUNSBERGAE

*DATE:*

1883

Master Negative #
91-80101-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Bludau, Alois, 1861-1913.
De fontibus Frontini, dissertatio inauguralis quam ... defendet Aloisius Bludau ... Brunsbergae, Wichert, 1883.
38 p. 21½ cm.


Thesis. Königsberg.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6.27.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







**AIIM**



**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202












MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# DE FONTIBUS FRONTINI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE III MENS. NOV. A. MDCCCLXXXIII HORA XII

IN AUDITORIO MAXIMO

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

**ALOISIUS BLUDAU**

VALCIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

**PAULUS KAREHNKE**, CAND. PHIL. SEM. PHIL SOD.

**PAULUS TEICHERT**, CAND. PHIL SEM PHIL. SOD.

**BRUNSBERGAE.**

EX OFFICINA WARMIENSI (J. A. WICHERT).

MDCCCLXXXIII.

# THESES.

1. In Front. Strat. l. 1, 7, 7 pro „Africae“ equidem censeo scribendum esse „Asiae“.
2. Thucydidem non Cleone auctore in exilium missum esse contendo
3. In opere Coelii Antipatris secundum tantum bellum Punicum tractatum esse videtur.

# VITA.

Aloisius Bludau natus sum Brunsbergae Id. April. anni 1861, patre Henrico, matre Philomene de gente Rarkowski, quos adhuc superstites colo. Fidem profiteor catholicam. Annos IX natus gymnasium Valciense (Deutsch Krone) adii, quod etiamnunc floret auspiciis vir. ill. Antonii Lowiński. Accepto testimonio maturitatis mense octobri anni 1879 Regimontium me contuli historicis potissimum et geographicis studiis operam daturus. Per quattuor annos audivi professores hos celeberrimos:

**Friedlaender, Jordan, Ludwich, Prutz, Ruehl, Wagner, Walter, Wichert, Zoeppritz,**

quibus omnibus gratias ago quam maximas.

Per quinque semestria exercitationibus historicis et geographicis interfui. Examen Rigorosum a. d. III. Non. Jul. absolvi.

---

Quae recenti memoria de Frontini strategematicon libris opuscula scripta sunt, omnia fere in textu restituendo versantur.[1]) Omnium harum dissertationum ea, quam Wachsmuthius conscripsit, summam auctoritatem habet, quia strategematicon librum quartum non genuinum esse gravibus argumentis explicavit![2]) — In hac dissertatione de fontibus, quibus Frontinus in libro scribendo usus sit, maxime mihi agendum erit. Plurimum enim referret, si inter omnes noti essent. Frontinus quidem de re militari tantum scripsit, sed libri eius saepius aliorum historicorum scripta supplent et emendant, quocirca vel difficillima disquisitione dignum est, ex quibus fontibus exempla ab eo hausta sint.

Antea vero, quam rationem in exemplis colligendis secutus sit, nonnullis verbis demonstrare liceat. Quod ad hanc quaestionem pertinet, num Frontinus in strategematis res Romanas ab externis distinxisset, disquisitum est.[3]) Tali coniectura, si vera esset, facile demonstrari posset, non modo, quam viam in fontibus excerpendis intrasset, sed etiam, quibus usus esset auctoribus. Sed hanc sententiam magnis dubitationibus implicatam esse, mox intellectum est. Haud difficilius fontes internoscerentur, si Frontinum nunc exempla plura ex uno, nunc ex altero tertiove deinceps excerpsisse et congessisse erui posset. Cum autem is scribendi modus non inveniatur, vero propius est, Frontinum nostrum in auctoribus perlustran-

[1]) Haase in Mus. Rhen vol. III, 312 sqq. Hedike in Herm. vol. VI, 156 sqq. Ueber eine Blattversetzung im Front. Woelfflin, die Kriegslisten des Front. in Herm. v. IX, 72 sqq. | Commentationes philol. Jenenses v. I. 1881. pag. 85 sqq.

[2]) Mus. Rhen. v. XV, 574 sq. Ueber die Unechtheit des vierten Buches der Strategemata.

[3]) Teuffel, röm. Littgesch. p. 748 sqq.

dis ea, quae strategema operi suo idoneum tractarent, in commentarios suos retulisse, deinde, nulla scriptorum ratione habita, omnia exempla in eum ordinem, quo librorum capitumque divisio hodiedum nitatur, redegisse. Quod ad auctores ipsos Frontini attinet, iam Oudendorpius magnam copiam locorum similium, qui apud alios scriptores extant, collegit materiamque huius dissertationis quam maximam praeparavit. Frontinum ex Sallustii, Caesaris, Livii, Trogi scriptis permulta exempla excerpsisse iam satis constat nuperque Woelfflinus cum praeter illos, quos nominavi Coelii quoque Antipatris annalibus usum esse probare studuit.[1]) — Quomodo vero scriptores illos excerpserit, quot strategemata ex uno quoque sumpserit, iam non exploratum habemus. In hoc lapide volvendo vires meas exercere in animo est. Scripta eorum, quos modo dixi, si cum libris Frontini comparaveris, facile intelleges, Frontinum ea usurpasse; sed in dubio relinquimur quaerentes, quot exempla unusquisque ei dederit. Exceptis enim Caesaris commentariis, nullius scriptoris opera integra nostram aetatem tulerunt; sic etiam Trogi historiam nonnisi in Justini epitome brevissima et angustissima legimus. Si igitur hanc epitomen cum Frontini libris comparantes demonstrare possumus, Trogum eius auctorem fuisse, id maximi momenti est. Etsi saepe hoc aperte probare non possumus, tamen quaestio disceptari potest, si Frontini strategemata cum scriptis aliorum, qui una cum Frontino iisdem usi sunt fontibus, ut Valerii Maximi, Flori, Orosii, Plutarchi, Appiani, aut eorum, qui cum Livio, et aliis ex iisdem hauserunt, ut Diodori, Dionysii, Polybii, comparaverimus. — Ea igitur strategemata, quae apud Livium, Caesarem, Sallustium, Justinum inveniuntur, nos ab iis discernamus necesse est, quae nonnisi comparatione ad fontes redigi possunt. Restant autem strategemata, quae apud Frontinum tantum tradita sunt, quorumque fontem ratiocinando modo efficere possumus.

---

1) Woelfflin. Antiochus v Syracus und Coelius Antipater. | Herm. vol. IX, 72 sqq.



# Pars prior.

## De Livio.

Tres[1]) Frontini strategematicon libri ad quadringenta fere exempla continent, quorum parvum numerum posterius interpositum esse Woelfflinus optime probavit.[2]) Quibus ex fontibus ea congesta sint, hoc loco non demonstrandum est. Strategematum reliquorum, si illa cum Livii opere comparamus, Frontinum septuaginta fere ex eo excerpsisse apparet. Et si consideramus, quartam tantum partem Livii operis traditam esse, verisimillimum est, cum plurima exempla a Livio petiisse, cum ex paucis qui extant libris Livianis tantam exemplorum nubem traxerit. Quae apud Livium hodie inveniuntur, haec sunt.

| Front. | Liv. | Front. | Liv. |
|---|---|---|---|
| 1, 1, 4 | 1, 54 | 2, 3, 7 | 22, 48 |
| 1, 1, 9 | 27, 43 sq. | 2, 3, 8 | 27, 48 |
| 1, 2, 2 | 9, 36 | 2, 3, 16 | 30, 33 |
| 1, 2, 9 | 27, 47 | 2, 4, 1 | 10, 41 |
| 1, 3, 3 | 22, 30 sq. | 2, 4, 2 | 10, 14 |
| 1, 3, 8 | 28, 44 cf. 29, 26 et 30, 19. | 2, 4, 4 | 36, 14 |
| 1, 5, 14 | 7, 34–35 | 2, 4, 5 | 7, 14 |
| 1, 5, 19 | 26, 17 | 2, 4, 15 | 6, 2 |
| 1, 5, 28 | 22, 16–17 | 2, 4, 18 | 7, 17 |
| 1, 6, 4 | 23, 24 | 2, 4, 19 | 4, 33 |
| 1, 8, 1 | 2, 39 § 6 | 2, 5, 1 | 1, 14 |
| 1, 8, 2 | 22, 23 | 2, 5, 2 | 9, 35 |
| 1, 8, 3 | 10, 27 | 2, 5, 3 | 40, 48 |
| 1, 8, 7 | 35, 14 | 2, 5, 8 | 40, 30 |
| 1, 9, 1 | 7, 38 | 2, 5, 22 | 22, 28 |
| 1, 11, 1 | 2, 45 | 2, 5, 23 | 21, 54 |
| 1, 12, 8 | 44, 37 | 2, 5, 24 | 22, 4 |
| 2, 1, 1 | 28, 14–15 | 2, 5, 27 | 22, 48 |
| 2, 1, 7 | 2, 30 | 2, 5, 29 | 30, 5–6 |
| 2, 1, 8 | 10, 28–29 | 2, 6, 7 | 2, 47 |

---

1) liber, qui fertur quartus, qui posterius adiectus esse mihi videtur, ab hac de Frontini fontibus dissertatione alienus est.

2) Herm vol IX, 76 sqq

| Front. | Liv. | Front. | Liv. |
|---|---|---|---|
| 2, 7, 1 | 1, 27 | 2, 11, 5 | 26, 50 |
| 2, 7, 4 | 29, 23—24 | 2, 12, 1 | 2, 64-65 |
| 2, 7, 7 | 21, 23 | 2, 13, 5 | 2, 10 |
| 2, 7, 10 | 2, 64 | 3, 3, 3 | 1, 53 |
| 2, 7, 11 | 2, 47 | 3, 4, 1 | 25, 48 |
| 2, 8, 2 | 3, 70 | 3, 9, 1 | 26, 45 |
| 2, 8, 3 | 3, 29 | 3, 9, 2 | 24, 46 |
| 2, 8, 5 | 6, 8 | 3, 14, 2 | 23, 19 |
| 2, 8, 6 | 6, 24 | 3, 15, 3 | 23, 19 |
| 2, 8, 8 | 4, 47 | 3, 16, 1 | 23, 15 |
| 2, 8, 10 | 4, 32 | 3, 17, 2 | 40, 25—28 |
| 2, 8, 11 | 10, 35-36 | 3, 18, 1 | 26, 11 |
| 2, 9, 2 | 27, 51 | 3, 18, 2 | 26, 11 |
| 2, 10, 2 | 25, 37—40 | 3, 18, 3 | 26, 12 |

Quo modo Frontinus ex Livii libris excerpserit, ut intellegamus, nonnulla exempla conferantur.

Fr. 1, 1, 4.

Tarquinius Superbus pater, principes Gabinorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuntio respondit, qui ad eum a filio erat missus; tamen virga eminentia papaverum capita, cum forte in horto ambularet, decussit. Nuntius sine responso reversus renuntiavit adolescenti Tarquinio, quid agentem patrem vidisset. Ille intellexit, idem esse eminentibus Gabinis faciendum.

Liv. 1, 54 § 5—8.

huic nuntio . . . nihil voce responsum est. rex velut deliberabundus in hortum aedium transit, sequente nuntio filii; ibi inambulans tacitus summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. . . . Sexto ubi, quid vellet parens, quidve praeciperet tacitis ambagibus, patuit. primores civitatis. . . . interemit.

Apud Fr. 1, 2, 9 verba ipsa cum Livii verbis conspirant.

Fr. 1, 2, 9

. . . quod ab itinere strigosiores notabat equos et coloratiora hominum, ut ex via, corpora.

Liv. 27, 47

. . . . quod Hasdrubal . . . . . scuta vetera hostium notavit, quae ante non viderat, et strigosiores equos. ac misit ad flumen, unde aquabantur, ubi et excipi aliqui possent, et notari oculis, si quid forte adustioris coloris ut ex recenti via essent.



Fr. 2, 8, 2.

Furius Agrippa consul, cedente cornu, signum militare ereptum signifero in hostes Volscos et Aequos misit; quo facto eius proelium restitutum est: summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerunt.

Liv. 3, 70.

. . . in dextro plurimum laboris fuit. ibi Agrippa, aetate viribusque ferox, cum omni parte pugnae melius rem geri quam apud se videret, arrepta signa ab signiferis ipse inferre, quaedam iacere etiam in confertos hostes coepit: cuius ignominiae metu concitati milites invasere hostem.

Fr. 3, 3, 3.

Tarquinius Superbus, cum Gabios in deditionem accipere non posset, filium suum Sextum caesum virgis ad hostem misit. Is incusata patris saevitia persuasit Gabinis, odio suo adversus regem uterentur; et dux ad bellum electus tradidit patri Gabios.

Liv. 1, 53.

. . . Sextus, filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se saevitiam intolerabilem conquerens: iam ab alienis in suos vertisse superbiam, et liberorum quoque eum frequentiae taedere. . . . . benigne ab Gabinis excipitur.

c. 54. . . . dux ad ultimum bellum legitur . . . .

Quae deinde Livius de Gabiorum expugnatione retulit, Frontinus iam in 1, 1, 4 enarravit.

Fr. 3, 4, 1.

Fabius Maximus, vastatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obsidionis superesset, recessit sementis tempore, ut frumentum, quod reliquum habebant, in sationes conferrent; reversus deinde renata protrivit.

Liv. 25, 48.

Quieta inde stativa fuere, ac retro etiam consul movit castra, ut sementem Campani facerent, nec ante violavit agrum Campanum, quam iam altae in segetibus herbae pabulum praebere poterant.

Ex omnibus his exemplis cognoscitur, Frontinum Livium ita excerpsisse, ut verba quidem pro operis sui indole saepe mutaret, sed semper eandem rem efferret. Quamobrem strategemata, quae Livius multis verbis enarravit, apud Frontinum perpaucis saepius declarata sunt: omni enim verborum copia neglecta breviter facta retulit; ita in 1, 5, 14 cf. Liv. 7, 34—35. — 1, 5, 28 cf. Liv. 22, 16—17. — 2, 3, 7 cf. Liv. 22, 48. — 2, 3, 8 cf. Liv. 27, 48. — 2, 11, 5 cf. Liv. 26, 50. Priusquam de exemplis, quae ex Livii libris, qui extant, collecta sunt, disserere desinam, nonnulla de eo, quod Unge-

rus[1]) in disquisitione de Livi fontibus scripsit, dicere liceat. In pag. 60 haec edissertavit: „Von den Strategemen des Frontinus, welche der in der vierten und fünften livianischen Dekade beschriebenen Zeit angehören, stimmt ein Theil mit Livius, den er 2, 5, 31 und 34 für die Vorgänge des letzten Jahrhunderts v. Chr. citirt, und darf daher (mit einem gewissen, unten bemerkten Vorbehalt) auf diesen zurückgeführt werden. Andere dagegen weichen entweder von Livius ab oder kommen gar nicht bei ihm vor. Unter diesen weichen ausser dem unsrigen (Fr. 1, 1, 11, wiederholt 1, 5, 13) noch zwei von claudianischen Stellen ab: 2, 5, 8 (vgl. Liv. 40, 30–31 und 3, 17, 2 (Liv. 40, 25–28) drei von catonischen: 1, 1, 1 (Liv. 36, 17) 1, 2, 5 und 3, 1, 2 (sie fehlen bei Liv. 34, 11—21), drei von polybischen: 1, 8, 7 (Liv. 35, 14), 2, 3, 20 (Liv. 44, 14) und 2, 4, 4 (Liv. 36, 17); keins von einer valerischen Stelle. Dies führt auf die Vermuthung, dass Frontin den Antias selbst benutzt hat, und es könnte auch eines oder das andere von den übereinstimmenden Strategemen unmittelbar aus diesem geflossen sein: ausser 3, 10, 1, welches dem catonischen Stück Liv. 34, 20 entnommen ist, gehen sie alle auf Antias zurück, vgl. 1, 5, 16 (Liv. 35, 11), 1, 12, 8 (Liv. 44, 37) und 2, 5, 3 (Liv. 40, 48).

Strategematum ab Ungero laudatorum haec respicienda sunt:

2, 5, 8 = Liv. 40, 30. 3, 17, 2 = Liv. 40, 25—28.
1, 8, 7 = Liv. 35, 14. 2, 4, 4 = Liv. 36, 17 (resp. 14–19).
1, 12, 8 = Liv. 44, 37. 2, 5, 3 = Liv. 40, 48.

Ea enim, quae Frontinus ex scriptis Catonis vel ex annalibus hausit, postea tractabimus. Illa quoque sex strategemata Ungero cum Livio consentire non videntur, quamobrem ea ex annalibus congesta esse censet.

Res aliter se habet: quamquam enim plura eorum in perangustam narrationem coacta sunt, cum Livio optime consonant. Hoc quoque mentione dignum est, Frontinum saepius, si strategema quoddam operi suo inserere vellet, id ex pluribus fontibus

---

[1]) In Philol. III. Suppl. II. Abth. pag. 60–61.



excerptum invenisse atque ita, ut fontes comparando a discrepantiis liberaret, numero aliorum exemplorum addidisse. Cuius generis exemplum habemus in str. 1, 8, 7, in quo scribendo maxime Livio usus est, cuius rei gestae expositionem ex Trogo et fortasse ex annalibus quibusdam complevit.

Fr. 1, 8, 7. Legati Romanorum, cum missi essent ad Antiochum regem, qui secum Hannibalem victis iam Carthaginiensibus habebat, consiliumque eius adversus Romanos instruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, ut is regi fieret suspectus, cui gratissimus alioquin et utilis erat propter calliditatem et peritiam bellandi.

| Liv. 35, 14. | Trogus - Justinus 31, 4. |
| --- | --- |
| Villius, . . . Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam, ut cum Hannibale, qui tum ibi forte erat, saepe congrederetur, ut animum eius temptaret, et si qua posset, metum demeret periculi quicquam ei ab Romanis esse. iis colloquiis aliud quidem actum nihil est: secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret. | Romani quoque legatos ad Antiochum misere, qui sub specie legationis et regis apparatum specularentur, et Annibalem aut Romanis mitigarent aut adsiduo conloquio suspectum invisumque redderent regi . . . . . Dum responsum expectant, omnibus diebus adsidui circa Annibalem fuere . . . . . . Quare sermone laetus saepius cupidiusque cum legatis conloquebatur, ignarus quod familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet. Quippe Antiochus tam adsiduo conloquio reconciliatam eius cum Romanis gratiam existimans nihil ad eum, sicuti solebat, referre expertemque totius consilii et veluti hostem proditoremque suum odisse coepit. |

## De Sallustio.

Perpauca modo strategemata in iis libris Sallustii legimus, qui ad nos pervenerunt, ita ut nobis concludendum esse videatur, etiam ex libris perditis non multa strategemata in Frontini libros emanasse. Tria tantum strategemata inveni, quae ex bello Jugurthino hausta sunt. Sed in altera dissertationis parte fragmentis historiarum operibusque ali-

orum auctorum Sallustium haud minime a Frontino excerptum esse demonstrabitur. Sequantur denique loci, quos Frontinus ex bello Jugurth. desumpsit:

| Front | Sall. bell. Jug. |
|---|---|
| 1, 8, 8 | c. 61 cf. c. 74. |
| 2, 4, 10 | c. 101. |
| 3, 9, 3 | c. 93. |

Conferantur Fr. 2, 4, 10 et Sall. Jug. c. 101.

| Front. | Sallust |
|---|---|
| Jugurtha in Numidia adversus C. Marium, cum latinae quoque linguae usum ei conversatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procucurrit et occisum ab se Marium latine clamare coepit, atque ita multos nostrorum avertit. | tum Marius apud primos agebat, quod ibi Jugurtha cum plurumis erat. dein Numida cognito Bocchi adventu clam cum paucis ad pedites convortit: ibi latine — nam apud Numantiam loqui didicerat — exclamat, nostros frustra pugnare, paulo ante Marium sua manu interfectum. simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis inpigre occiso pedite nostro cruentaverat. quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuntii terrentur, simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. iamque paulum a fuga aberant. |

## De Caesare.

Quot strategemata Frontinus ex Caesaris commentariis sumpserit, quia scripta eius extant, facillime cognoscitur. Et pauca quidem praebuit Frontino; nam in libris eius sedecim tantum exempla habemus, quae ex iis sumpta esse probare possumus. Haec sunt:

| Front. | Caesar. | Front. | Caesar. |
|---|---|---|---|
| 1, 1, 5 | b. c. 3, 110 | 2, 2, 3 | b. Al. c. 73 |
| 1, 5, 5 | b. c. 1, 27 | 2, 5, 20 | b. G. 7, 59 |
| 1, 5, 9 | b. c. 1, 41 | 2, 5, 38 | b c. 1, 69 |
| 1, 8, 9 | b. c. 1, 66 | 2, 5, 40 | b. c. 2, 40 |
| 1, 9, 4 | b. G. 1, 40 | 3, 7, 2 | b. G. 7, 40 |
| 1, 11, 3 | b. G. 1, 41 | 3, 17, 4 | b. c. 3, 66 |
| 2, 1, 11 | b. c. 1, 81 | 3, 17, 6 | b. G. 5, 49 |
| 2, 1, 16 | b. G. 1, 50 | 3, 17, 7 | b. G. 3, 17 |



Etiam hoc loco quomodo Frontinus Caesare usus sit, exemplis demonstretur.

| Fr. 1, 1, 5 | Caes b. c. 3, 110. |
|---|---|
| . . . . . . ut ad mores Alexandrinos vitamque deficeret. | qui iam in consuetudinem Alexandrinae vitae ac licentiae venerant. |
| **Fr. 1, 5, 9.** | **Caes. b. c. 1, 41.** |
| C. Caesar bello civili, cum adversus Afranium copias educeret et recipiendi se sine periculo facultatem non haberet, sicut constiterat, prima et secunda acie furtim a tergo ad opus adplicata, quindecim pedum fossam fecit, intra quam sub occasum solis armati se milites eius receperunt. | Caesar, ubi cognovit, per Afranium stare, quominus proelio dimicaretur, ab infimis radicibus montis intermissis circiter passibus cccc castra facere constituit, et ne in opere faciundo milites repentino hostium incursu exterrerentur atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere et procul videri necesse erat, sed a fronte contra hostem pedum XV fossam fieri iussit. Prima et secunda acies in armis, ut ab initio constituta erat, permanebat; post hos opus in occulto a tertia acie fiebat. Sic omne prius est perfectum, quam intelligeretur ab Afranio castra muniri. Sub vesperum Caesar intra hanc fossam legiones reducit atque ibi sub armis proxima nocte conquiescit. |
| **Fr. 2, 1, 16** | **Caes. b G. 1, 50.** |
| C. Caesar in Gallia, quia compererat, Ariovisto Germanorum regi institutum et quasi legem esse militibus non pugnandi decrescente luna, tum potissimum acie commissa impeditos religione hostes vicit. | Quum ex captivis quaereret Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrum proelium committi ex usu esset, necne; eas ita dicere: non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam proelis contendissent. cf. c. 51. |

## De Pompeio Trogo.

Haud dubie difficillimum est docere, quot strategemata Trogus Frontino dederit. Cum enim Justini epitomas prologos-

que, non Trogi historias ipsas habeamus, ii Justini loci magnam auctoritatem habent, ex quibus concludi potest, Frontinum Trogi narrationem secutum esse. Tales locos magni ut dixi momenti re vera praesto esse, exempla doceant:

| Front. | Trog.—Just. | Front. | Trog – Just. |
|---|---|---|---|
| 1, 1, 10 | 2, 15 | 2, 2, 14 | 2, 12 |
| 1, 2, 3 | 21, 6 | 2, 5, 5 | 1, 8 |
| 1, 3, 4 | 9, 1—2 | 2, 5, 36 | 42, 4 |
| 1, 3, 6 | 2, 12 | 2, 6, 8 | 2, 13 |
| 1, 4, 6 | 8, 4 | 2, 11, 3 | 11, 5 |
| 1, 11, 19 | 1, 6 | 3, 3, 4 | 1, 10 |
| 2, 1, 9 | 9, 3 | | |

Fr. 1, 2, 3

Carthaginienses, cum animadvertissent Alexandri ita magnas opes, ut Africae quoque immineret, unum ex civibus, virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iusserunt simulato exsilio ire ad regem omnique studio in amicitiam eius pervenire: qua is potitus, consilia eius nota civibus suis faciebat.

Just. 21, 6.

Jnter haec Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri Magni exterriti, verentes ne Persico regno et Africam vellet adiungere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem cognomento Rhodanum, virum sollertia facundiaque praeter ceteros insignem. ... Jgitur Hamilcar per Parmenionem, aditu regis obtento profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se expeditionis offert. Atque ita consiliis eius exploratis in tabellis ligneis vacua desuper cera inducta, civibus suis omnia perscribebat.

Front. 1, 3, 4.

Byzantii adversus Philippum omne proeliandi discrimen evitantes, ommissa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi se receperunt, adsecutique sunt, ut Philippus obsidionalis morae impatiens recederet.

Just. 9, 1—2.

c. 1. eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. .... Igitur Philippus longa obsidionis mora exhaustus pecuniae commercium de piratica mutuatur. c. 2. Philippus soluta obsidione . . . . .

His locis collatis illustratur, Trogum illorum fontem communem fuisse, et Frontinum Justinumque bene consentientes Trogi latam et copiosam orationem in angustum redegisse. Quae hic posui strategemata, de rebus Macedonicis et Punicis agunt; ex illis, quae sequuntur, Trogum et rerum



Graecarum, Persicarum aliarumque Frontino fontem fuisse cognoscemus.

Fr. 1, 3, 6.

Themistocles adventante Xerxe, quia neque proelio pedestri neque finium tutelae neque obsidioni credebat sufficere Athenienses, auctor fuit eis, liberos et coniuges in Troezena et in alias urbes amandandi relictoque oppido statum belli ad navale proelium transferendi.

Just. 2, 12.

§ 13. adventante igitur Xerxe .

. . . . . . . . . . . . .

§ 14. Themistocles navium praesidium demonstratum ratus persuadet omnibus: patriam municipes esse, non moenia, civitatemque non in aedificiis, sed in civibus positam: melius itaque salutem navibus quam urbi commissuros; huius sententiae etiam deum auctorem esse. Probato consilio coniuges liberosque cum pretiosissimis rebus abditis insulis relicta urbe demandant; ipsi naves armati conscendunt.

Fr. 2, 5, 5.

Tomyris, Scytharum regina, Cyrum Persarum regem aequo Marte certantem, simulato metu, elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi, repente converso agmine, natura loci adiuta devicit.

Just. 1, 8 § 9.

Amisso tanto exercitu, et quod gravius dolendum, unico filio Tomyris orbitatis dolorem non in lacrimas effudit, sed in ultionis solacia intendit hostesque recenti victoria exultantes pari insidiarum fraude circumvenit: quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens Cyrum ad angustias usque perduxit. Ibi conpositis in montibus insidiis ducenta milia Persarum cum ipso rege trucidavit.

Hoc modo tredecim strategemata ex Trogi historiis hausta esse probari potest; et hanc quidem argumentationem nos ex Justini epitomis attulisse respiciatur valde necesse est. Quare plura exempla ex Trogo petita esse verisimile est, quae quidem non iam conferri possunt. Nonnullorum tamen vestigia extant. Ita Fr. 1, 11, 7 ex Trogo haustum est. cf. Just. 2, 14.[1])

---

[1]) Enmann, Untersuchungen ü. d. Quellen des Pomp. Trog. für die griech. u. sizil. Gesch. pag. 24.

| Fr. 1, 11, 7. | Just. 2, 14 § 8 |
| --- | --- |
| Leutychidas dux Lacedaemoniorum, pugnaturus eodem die classe, quo terra vicerant socii, quamvis ignarus actae rei, vulgavit nuntiatam sibi victoriam partium, quo constantiores ad pugnam milites haberet. | Ibi ante congressionem, cum classes ex adverso starent, fama ad utrumque exercitum venit, vicisse Graecos et Mardonii copias occidione cecidisse. Tantam famae velocitatem fuisse, ut cum matutino tempore proelium in Boeotia commissum sit, meridianis horis in Asiam per tot maria et tantum spatii tam brevi horarum momento de victoria nuntiatum sit. |

Haud secus res se habet apud Front. 2, 5, 44, quod strategema Alcibiadis ex bello Peloponnesiaco Frontinus ex libro V Trogi sumpsit[1]) cf. Just. 5, 4.

Jamque ad finem huius dissertationis partem pervenimus. Quotiens Frontinus Trogi historiis usus sit, priusquam ceteri fontes et strategmata ex iis petita non plane cognita sint, intellegi non potest.

## De aliis Frontini auctoribus.

Strategematis illis, quae ex Livio, Sallustio, Caesare, Trogo hausta esse cognovimus, ad fontem redactis, trecenta fere restant, quorum permagnum numerum quattuor illis scriptoribus attribuendum esse probabile est. Sed omnia iis adscribere non licet, cum aliorum fontium, quibus praeter eos Frontinus usus est, multa indicia adsint. — Jamque Woelfflinus Frontinum ex annalibus hausisse probavit,[2]) Coeliique Antipatris quidem annalibus eum usum esse demonstrare studuit. De hac re alio loco nonnulla dicam. — Apud Frontinum strategemata, quae ad eam aetatem pertinent, de qua Livius longius narrasse ex libris traditis cognoscitur, inveniuntur; quorum nonnulla apud Livium frustra quaesiveris. Etsi interdum Livius et Frontinus eadem referunt strategemata, tamen ita ab uno enarrantur, ut multis in rebus ab altero

---

[1]) Eunmann, pag. 73—74

[2]) Herm vol. IX, 72. — Antiochus v. Syracus und Coelius Antipater.



plane dissentiat. Itaque valde conspicuum est, Frontinum in iis conscribendis non Livio, sed alio fonte usum esse. Cuius generis strategemata in omni fere historiae Romanae parte, in qua Livius cum Frontino comparari potest, inveniuntur. Jam de regibus et de rei publicae primordiis et denique de temporibus, quae bellum Punicum secundum sequuntur, agunt. — Ex hoc quod notavi tempore complura Catonis strategemata notanda sunt, quae, quamquam Livius de hoc viro non modo scripsit, sed etiam eius operibus usus est, apud eum non inveniuntur, unico excepto, (Fr. 3, 10, 1) quod eodem modo apud Livium 34, 20 enarratur. Quantumvis Frontinus hoc loco Livium secutus esse videatur, cum in rebus enarrandis cum eo consentiat, ea coniectura, utrumque ex eodem fonte hausisse verisimilior est. Catonem quidem ipsum auctorem secuti sunt.[1]) Quod enim complura Catonis strategemata, quae apud Livium non referuntur, apud Frontinum legimus, Catonem quoque eius auctorem fuisse valde probabile est. Neque quidquam interest disserere, utrum Frontinus et Livius ex Originibus an ex orationibus, an, ut de Plutarcho censetur,[2]) ex dictis Catonianis hauserint. Omnia Catonis strategemata, quae nobis scriptores ut Appianus, Plutarchus aliique tradiderunt, ex Catonis scriptis petita esse liquet, cum praesertim Cato ipse unus fuerit, qui ea omnia memoriae tradere potuerit. — Fr. str. 1, 1, 1 de Catone agit: Moenia urbium Hispaniensium uno die cuncta diruenda sunt. Et Livius quidem de hac re in lib. 34, 17—18, sed non tam late et copiose quam Frontinus scripsit. In fragmento etiam Polybii, quod extat apud Plut. Cat. mai. c. 10 et in Appiani Iber. c. 41 eadem res narratur.

| Fr 1, 1, 1. | Plut. Cat. mai. c. 10. (Polyb). | App. Iber. c. 41. |
| --- | --- | --- |
| M. Porcius Cato devictas ab se Hispaniae civitates existimabat in tempore rebellaturas fi- | Πόλυβιός φησι τῶν ἐντὸς Βαίτιος ποταμοῦ πόλεων ἡμέρᾳ μιᾷ τὰ | .... καὶ βιβλία ἐσφραγισμένα ἐς ἑκάστους περιέπεμπε, καὶ τοὺς φέροντας ἐκέλευεν ἡμέρᾳ |

---

[1]) Nissen, krit. Unters. u d. Quellen des Livius p. 154, Unger p. 66.

[2]) Peter, d. Quellen Plut. in d. Biogr. d. Römer p. 90.

| | |
|---|---|
| ducia murorum. Scripsit itaque singulis, ut diruerent munimenta, minatus bellum, nisi confestim obtemperassent; epistolasque universis civitatibus eodem die reddi iussit. Unaquaeque urbium sibi soli credidit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere, si omnibus idem denuntiari notum fuisset. | τείχη κελεύσαντος τοῦ Κάτωνος περιαιρεθῆναι. πάμπολλαι δ' ἦσαν αὗται, γέμουσαι μαχιμῶν ἀνδρῶν. μιᾷ πάντας ἀποδοῦναι· καὶ ὥριζε τὴν ἡμέραν, τεκμηράμενος, ὅτε μάλιστα ἐς τὴν πορρωτάτω πόλιν ἀφίξονται. ἐκέλευσε δ' ἡ γραφὴ ταῖς ἀρχαῖς τῶν πόλεων ἁπάσαις καθαιρεῖν τὰ τείχη σφῶν, αὐτῆς ἡμέρας ᾗ τὰ γράμματα λάβοιεν. εἰ δὲ ἀνάθοιντο τὴν ἡμέραν, ἀνδραποδισμὸν ἠπείλει . . |

Polyaenus quoque hanc rem verbose perscripsit.[1]) Qui cum Appiano consentiat, eos unum auctorem transscripsisse clarum est. Polyaenumque Polybii historiam secutum esse satis manifestum est.[2]) Et Appianum quoque hunc scriptorem saepe magnopereque excerpsisse inter omnes constat.[3]) Neque quidquam est, quo eum etiam eo loco idem fecisse negetur. Cum vero nullum habeamus indicium, Frontinum etiam Polybio usum esse, hoc unum, ut illis unus idemque auctor Cato ipse fuerit, reliquum est. Fr. 1, 2, 5, strategema iterum de Catone agens apud Plutarchum quoque, Cat. mai. c. 13 legimus. Quod non in omnibus rebus cum Frontini relatione consonat; nam hic locum, in quo res geritur, Hispaniam, ille Macedoniam fuisse dicit. Qua una re commotus Nissenius Frontinum alio quam Plutarchum fonte usum esse censet.[4])

| Fr. 1, 2, 5. | Plut. Cat. m. c. 13. |
|---|---|
| M. Cato in Hispania, quia ad hostium consilia alia via pervenire non potuerat, iussit trecentos milites simul impetum facere in stationem hostium raptumque unum ex his in castra perferre incolumem. Tortus ille omnia suorum arcana confessus est. | Συνδραμόντων δὲ καὶ περιστάντων αὐτὸν ἀθρόων εἶπεν „ἄνδρα χρῄζω λαβεῖν τῶν πολεμίων ζῶντα καὶ πυθέσθαι τίνες οἱ προφυλάττοντες οὗτοι, πόσον πλῆθος αὐτῶν, τίς ὁ τῶν ἄλλων διάκοσμος ἢ τάξις καὶ παρασκευή, μεθ' ἧς ὑπομένουσιν ἡμᾶς, τὸ δ' ἔργον ἅρπαγμα δεῖ τάχους γενέσθαι καὶ τόλμης, ᾗ καὶ λέοντες ἄνοπλοι θαῤῥοῦντες ἐπὶ τὰ δειλὰ τῶν θηρίων βαδίζουσι . . . . |

1) Polyaen. 8, 17.
2) Polyaen., rec. Woelfflin, in tabula adiecta.
3) Nissen. p. 113 sq.
4) Nissen p. 157, in adnot.



Sed quod Nissenius censet, Catonem Frontino huius strategematis fontem non fuisse, mihi non liquet. Quamquam Frontinus a Plutarcho in loco describendo dissentit, tamen unum fontem transscripserunt; quod ad Plutarchum quidem attinet, Catonem ipsum ab eo excerptum esse certe non constat;[1]) sed eum Catonis scripta in angustum coacta transscripsisse, satis iam probatum est.[2]) Quare intellegitur facile evenire potuisse, ut Plutarchus res parvi momenti diligentia posthabita efferret. Et eum neglegenter narrasse scimus.[3]) Fr. str. 2, 4, 4 ex Catone sumptum est, quod apud Livium unum in l. 36, 14 sqq. legimus, cuius relationem Frontinus haud dubie respexit, et ita hi loci: 2, 7, 14 et 3, 1, 2. Ita strategemata, quae ex scriptis Catonianis hausta sunt, inveniuntur haec sex: 1, 1, 1. — 1, 2, 5. - 2, 4, 4. — 2, 7, 14. — 3, 1, 2. — 3, 10, 1. Fr. str. 2, 8, 4: „Salvius Pelignus bello Persico idem fecit“ quamquam interpositum est (Herm. IX, 76), tamen ex Catone petitum videtur esse. cf. Plut. Aem. Paull. c. 20: *Τῶν δὲ Ῥωμαίων, ὡς ἀνέστησαν τῇ φάλαγγι, μὴ δυναμένων βιάζεσθαι Σάλονιος ὁ τῶν Πελιγνῶν ἡγούμενος ἁρπάσας τὸ σημεῖον τῶν ἐφ' αὐτὸν εἰς τοὺς πολεμίους ἔρριψε.* cf. Peter p. 86 sqq.

Praeter haec Catonis strategemata complura sunt, quae ex iis quos supra dixi scriptoribus sumpta non sunt; quibus idcirco alius auctor est, et quidem, ut iam Woelfflinus censuit, scriptor quidam annalium.[4]) Quorum primum strategema est apud Fr. 1, 1, 3, de Laelio Scipionis legato ad Syphacem

1) Peter, p. 93, in adnot. 1.
2) ibid.
3) Peter, p. 93: Schade nur, dass wir dem Plutarch so wenig trauen können, da er den Cato sehr flüchtig benutzt und viele Fehler hat unterlaufen lassen.
4) Herm. IX, 72 sqq.

regem misso, de quo etiam Livius, qui autem strategema non habet, refert.[1]) Ex eodem fonte quoque Frontinus str. 1, 2, 1, quod de iisdem viris agit, desumpsit. Cum his in strategematis conscribendis Livio non usus sit, ex alio fonte, qui etiam Livio non ignotus fuerit, eum hausisse oportet; cumque annales transscripsisse rati non errabimus. Etiam str. 1, 2, 7 et 1, 4, 1 ex annalibus manaverunt. Haec Aemilii Papi cuiusdam consulis strategemata continent, quorum alterum in bello quodam Gallico, alterum in bello contra Lucanos gesto versatur. Neque multa de hoc viro nobis nota sunt, et quae habemus pauca, inter se maxime repugnant dissidentque. Ad primum nomen eius certe traditum non est, deinde de tempore, quo floruerit, sententiae non congruunt. Cum duos huius nominis consules fuisse memoriae proditum sit, primum, utrum strategemata illa uni, deinde utri attribuenda sint, an Frontinus de duorum virorum strategematis scripserit, statuendum est. Quod ut fiat, omnia ex monumentis scriptoribusque ad hoc spectantia hic conferantur: C. J. L. I, 433 in fast. consular:

| a. u. c. | |
|---|---|
| 472 | C. Fabricius C. f. C. n. Luscinus. |
| | L. Aimilius f. n. Papus. |
| 529 | L. Aimilius Q. f. Cn. n. Papus. |
| | C. Atilius M. f. M. n. Regulus. |

Appian. Gall. 1, 2. „ἔστησε δὲ κατὰ Κελτῶν καὶ Πάππος Αἰμίλιος τρόπαια."

Oros.[2]) 4, 13, 5: „si quidem L. Aemilio Catulo C. Atilio Regulo consulibus magna formidine consternatus est senatus defectione Cisalpinae Galliae." Plin. hist. nat. 3, 20. „. . . super haec Italia, quae L. Aemilio Paulo, C. Atilio Regulo cos. nuntiato Gallico tumultu sola sine externis ullis auxiliis atque etiam tunc sine Transpadanis equitum LXXX, peditum DCC armavit." Eutrop. 3, 5 (2). a. u. c. 529. „L. Aemilio . . . . coss. ingentes Gallorum copiae Alpes

1) Liv. l. 30, 4. cf. Polyb. l. 14, 4. Val. Max. 6, 9, 7.

2) Oros. ed. Zangemeister, in corp. script. eccles. lat. Vol. V. p. 241. in muscrp. et Paulus et Papus legitur.



transierunt." Polyb. 2, 27. consulem anni 529 Aemilium appellat, ita et Diodorus 25, 13. Flor. 2, 4 (1, 20) „. . . victos (sc. Gallos) enim Aemilius in Capitolio discinxit." Ex fastis consularibus nomen Aemilii Papi apud omnes scriptores emendandum esse apparet; facileque omnes locos collatos de Aemilio Papo anni 529 a. u. c. consule agere cognoscitur. Apud Appianum solum res non liquet His rebus cognitis utrum Frontini strategemata anno 529, an anno 472 gesta sint, an unum anno 529, alterum anno 472, statuendum est. Strategema, quod apud Fr. 1, 4, 1 enarratur, anno 472 factum esse demonstretur non necesse est; etiam str. 1, 2, 7 huic anno attribuendum est. Quae si strategemata a duobus huius nominis consulibus gesta essent, Frontinum strat. 1, 4, 1 operi inserentem id quod modo tradiderit respexisse oporteret. Et quidem inter duo strategemata allata aliquid intercedere Frontinus certe adnotasset, cum praesertim viri nominis apud Romanos pernoti non essent. Neque temporum aetatumque errores restant, si ea strategemata ab eodem consule perfecta esse arbitramur; optime enim ea ad annum 472 u. c. statuere possumus.[1]) Quamvis Livium quoque in libro XII de Aemilio Papo retulisse verisimile sit, tamen, quia apud eos, qui Livio usi sunt, nihil de eo dictum invenimus, illa ex annalibus quibusdam Frontinum hausisse censeo. Eiusdem quoque generis sunt str. 1, 6, 1 et 2; dein 1, 11, 2, quae Fulvii Nobilioris cuiusdam strategemata continent. Gesta sunt anno 298 a. Chr. n. initio belli tertii Samnitibus inlati. Apud Livium 10, 11 alter consulum Cn. Fulvius appellatur, qui idem est, cuius strategemata in Samnites gesta Frontinus pernarrat. Quae cum Livius nesciat, Frontinum hic non Livium sed annales secutum esse apparet. Alia exempla sunt str. 1, 5, 13 (1, 1, 11)[2]) 1, 5, 16, quod Livius multis in rebus a Frontino dissentiens retulit;[3]) str. 1, 7, 2[4]) et 1, 8, 10, quod

1) Niebuhr, Röm. Gesch. 3, 502. Droysen, Gesch. des Hellenismus 3, 119.

2) Unger, l. c. p. 60.

3) Unger, l. c.

4) Woelfflin, Coel. Antip p. 77 cf. Liv. 21, 28.

rem bello Punico secundo exeunte gestam continet, haud dubie ex eodem fonte ac str. 1, 1, 3 et 1, 2, 1 hausta sunt. Eandem rem, quae in str. 1, 8, 10 descripta est, Appianus quoque in Pun. c. 36 narravit.

| Fr. 1, 8, 10. | App. Pun. c. 36. |
|---|---|
| Scipio Africanus, ad excipienda auxilia cum commeatibus Hannibali venientia, M. Thermum dimisit, ipse subventurus. | *Ἕως αἰσθόμενος ὁ Σκιπίων, Ἀννίβαν ἰσχυρῶς τε ἀπορούμενον, καὶ περιμένοντα ἀγορὰν φερομένην, νυκτὸς ἔπεμψε Θέρμον χιλίαρχον ἐπὶ τοὺς ἄγοντας αὐτήν. Καὶ λόφον ὁ Θέρμος ἐν στενῇ διόδῳ καταλαβὼν, ἔκτεινε τῶν Λιβύων, ἐς τετρακισχιλίους, καί ἐζώγρησεν ἑτέρους τοσοίσδε· καί τὴν ἀγορὰν ἦκε φέρων τῷ Σκιπίωνι.* |

Etiam str. 1, 11, 4 et 21 ex annalibus deprompta esse videntur; incertum enim est, cuiusnam Fabiorum res gestae in his exemplis illustrentur; equidem str. 1, 11, 4 ad eam legationem, quae a Carthaginiensibus peteret, ut Hannibal traderetur, spectare censeo, de qua Livius multa aliter ac Frontinus retulit. Quis sit Fabius, de quo in str. 1, 11, 21 agitur, non liquet.

Ex annalibus Frontinus etiam str. 1, 11, 8 hausit, de quo pauca non consonantia apud Livium in l. 2, 19, consonantia apud Florum et Valerium Maximum legimus.[1]) Dein str. 2, 2, 6 et 7, quorum alterum cum relatione Liviana consentiens ex duabus relationibus conscriptum esse videtur;[2]) tum 2, 3, 1[3]) et 2, 3, 4 (cf. Liv. 28, 14); ita 2, 3, 9 et 20 (Unger l. c. p. 61); 2, 5, 9 continens strategema Cn. Fulvii cuiusdam, qui haud dubie idem est ac Fulvius ille, quem iam supra dixi. cf. Liv. 10, 12 et 27. — 2, 5, 13. 14 et 21. cf. App. Hann. c. 43. — 2, 5, 25 cf. Liv. 23, 14.

Str. 2, 6, 1. 2. 4. - 2, 8, 1. 9. — 3, 1, 1 cf. Dion. 9, 58 et Liv. 2, 65. — Str. 3, 3, 2 cum Livio in nominibus tantum

---

[1]) Zschech, de Cic. et Liv. Val. Max. fontibus. cf. Cic. Tusc. 1, 12. de nat. d. 2, 2, 6. Plut. Coriol. c. 3. Dionys. Hal. 6, 2.

[2]) Woelfflin, l. c. p. 77.

[3]) ibid. p. 73.



non congruit;[1]) certe Frontinus hoc loco duas confudit relationes, et ita in str. 3, 3, 6. Ex annalibus quoque emanaverunt 3, 6, 1. 2. 5. — 3, 13, 1 cf. Liv. 5, 46. — 3, 13, 2 cf. Liv. 26, 4, 7 et 12. — 3, 15, 1 cf. Liv. 5, 48; ad postremum 3, 16, 4 et 3, 17, 3. Strategemata, in quibus enarrandis Frontinus annales secutus est, praeter Catoniana sunt XLII. Ut annales, qui Frontino materiam praebebant, accuratius cognoscantur, strategemata temporibus dividere et serie rerum digerere aptum esse videtur. Duo sunt, quae in rebus a regibus gestis versantur: 2, 8, 1 et 9. Tempori rei publicae Romanae usque ad bellum Punicum secundum tredecim attribuenda sunt: 1, 2, 7. — 1, 4, 1. — 1, 6, 1. 2. — 1, 11, 2. 4. 8. 21. — 2, 5, 9. — 2, 6, 1. — 3, 1, 1. - 3, 13, 1. — 3, 15, 1. — Duo et viginti ad bellum Punicum secundum spectantia legimus: 1, 1, 3. — 1, 2, 1. — 1, 3, 5 — 1, 7, 2. — 1, 8, 10. — 2, 2, 6. 7. — 2, 3, 1. 4. 9. — 2, 5, 13. 21. 25. — 2, 6, 2. 4. — 3, 3, 2. 6. — 3, 6, 1. 5. — 3, 13, 2. — 3, 16, 4. — 3, 17, 3. — Ex tempore post hoc bellum usque ad pugnam ad Pydnam commissam, quam Livius — nec aliter Frontinum annalibus usum esse intellegi potest, nisi eum cum Livii libris qui extant, comparaverimus — in lib. XXXXV descripsit, quinque habemus strategemata: 1, 5, 13. 16. -- 2, 3, 20. — 2, 5, 14. — 3, 5, 2. — Quo tempore str. 3, 6, 2 gestum sit, non liquet.

Frontinus igitur annales, qui annos ab urbe condita usque ad bellum ab Aemilio Paullo consule in Macedonia gestum descriptos continebant, secutus est; et si tempora posteriora quoque descripserunt, Frontinum hac quoque annalium parte usum esse satis apparet, quamquam, quia Livii libri reliqui desunt, demonstrari non potest. Et si quis roget, utrum Frontinus unum an complures annalium scriptores evolverit, nemo erit, qui certe respondeat. Woelfflinus strategemata, quae de bello Punico secundo agunt, ex Coelii annalibus hausta esse censuit neque ulla adest causa, qua id negari possit. Frontinum Valerio Antiate usum esse iam Ungerus

---

[1]) 1 25, 23

probavit.[1]) Etsi apud Ciceronem, quem Valerio auctore non usum esse satis constat, nonnulla cum Frontino consonantia exempla inveniuntur, ut Frontinum non ex Valerio sed ex Ciceronis fonte hausisse putemus, nulla causa cogimur. Cum vero Antias res ab urbe condita usque ad aetatem suam gestas scripserit, facillime apparet, Frontinum ex eo strategemata regum et consulum aliorumque, qui ante bellum Punicum secundum floruerunt, eaque quae post hoc bellum gesta sunt, excerpsisse. Et si ea, quae Nissenius de Valerio Antiate scriptorum Romanorum auctore dixit,[2]) respexerimus, nemo dubitabit, quin Frontinus etiam eius libris usus sit. Ita Frontinum praeter quattuor, quos iam supra dixi alios tres auctores secutum esse verisimile est. Cum Coelius de bello Punico secundo tantum scripserit, accurate facileque explorari potest, quot strategemata Frontinus ex eo desumpserit.[3]) Sunt duo et viginti. cf. pag. 19. Utrum ex Catonis libris pauca, quae novimus, an plura hauserit, in dubio relinquimus. Sed eum Valerio saepius quam cognovimus, usum esse constare videtur; quamquam, cum Livii pars maxima desit, demonstrari non potest. Cum vero hic saepissime a Frontino adhibitus sit, omnia strategemata, quae in Livii libris narrata esse possunt, ex iis hausta esse censere debemus, quamquam multa in iis inerunt, quae Valerius dederit.

---

1) Unger l. c p. 61.

2) Krit. Unters. p. 44 sqq.

3) de Coelio legas Gilbert et Sieglin: die Fragm. des L. Coelius Antipater in annal. Fleckeis. suppl. X, 363 sqq et XI, 1 sqq.



# Pars altera.

Ea disquisitione, quam haec pars altera excipit, hoc effecisse mihi videor, strategematum partem tertiam ad certos quos nominavi fontes revocatam esse. Qui labor non fuit magnis dubitationibus implicatus, cum scripta, ex quibus Frontinus noster hausit, nobis aut praesto essent, aut, quod ad annales pertinet, facillima opera scriptorum auctores erui possent. Reliquorum strategematum fontes, si scriptores alios, qui cum Frontino iisdem auctoribus usi sunt, ad comparationem adhibuerimus, ex parte quidem cognoscemus. Exempla ex annalibus hausta non internosci posse iam supra dictum est. Eandem ob causam plurimorum strategematum, quae ad res Romanas spectant, Livium auctorem censendum esse satis perspicuum est.

Attamen, ut res se habent, praeter Livium alter auctor quorundam exemplorum, quae paucos annos complectuntur, inveniri potest, etsi et eius et Livii scripta, quae de iisdem annis agebant, non tradita sunt. Sunt strategemata eo temporis spatio gesta, cuius memoriam Sallustii historiae servaverunt Exceptis igitur iis, quae ex historiis hausta esse intellegemus, cetera alia — Caesar enim non iam respiciendus est et de Trogo, qui perpauca quae Livius quoque refert, enarrat, nihil certi dici potest, — Livio auctori attribuere non dubitabimus. Quare de Sallustio primum disserere aptum esse videtur.

## De Sallustio.

Hoc si concesseris, Frontinum usum esse annalibus Coelii ipsis, hunc optime cum Sallustio, Frontini auctore comparare possumus. Uterque enim historiam aetatis certis finibus terminatae descripsit et ex utroque opere Frontinus, quamvis alios quoque fontes secutus sit, strategemata deprompsit. Frontinus, ut strategemata bello Punico secundo gesta et ex Coelio et ex Livio collegit, ita et postea, cum Livium et Sallustium de iisdem annis scribentes haberet,

corum pressit vestigia. Tamen saepius, ut videbimus, Sallustii quam Livii strategemata laudavit et loci 2, 5, 31 et 34 testes sunt, cum Livii libros ad Sallustii narrationem emendandam modo sibi ascivisse Cum praeter quattuor orationes epistulasque duas fragmenta historiarum tenuissima, ex quibus haud multum cognoscitur, tradita sint, scriptores, quos Sallustio usos esse certe scimus, ad comparationem adhibendi sunt. Hi sunt Plutarchus in vitis Sertorii, Crassi, Luculli, Marii,[1]) deinde Valerius Maximus,[2]) Florus.[3]) Appianum quoque ex Sallustio hausisse constat. Fr. str. 1, 5, 20—22 ex Sall. hist. emanaverunt.

| Fr. 1, 5, 21. | Plut. Crass. c. 9. |
|---|---|
| Idem (sc. Spartacus) in Vesuvio obsessus, ea parte, qua mons asperrimus erat ideoque incustoditus, ex vimine silvestri catenas conseruit; quibus demissus non solum evasit, verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit, ut aliquot cohortes gladiatoribus quattuor et septuaginta cesserint. | ἔπειτα Κλωδίου στρατηγοῦ μετὰ τρισχιλίων πεμφθέντος ἐκ Ῥώμης καί πολιορκοῦντος αὐτοὺς ἐν ὄρει, μίαν ἔχοντι καὶ χαλεπὴν καὶ στενὴν ἄνοδον. ἣν ὁ Κλώδιος ἐφρούρει, τὰ δ'ἄλλα κρημνοὺς ἀποτόμους καὶ λισσάδας. ἄμπελον δὲ πολλὴν ἀγρίαν ἐπιπολῆς πεφυκυῖαν, ἔτεμνον τῶν κλημάτων τὰ χρήσιμα, καὶ συμπλέκοντες ἐξ αὐτῶν κλιμακίδας εὐτόνους καὶ βαθείας, ὥστ' ἄνωθεν ἀνηρτημένας παρὰ τὸ κρημνῶδες ἅπτεσθαι τῶν ἐπιπέδων, κατέβαινον ἀσφαλῶς δι' αὐτῶν πλὴν ἑνὸς . . . .[4]) |

Florus l. 2, 8 (3, 20) de quo quidem, utrum hoc loco Livio an Sallustio usus sit, non constat, haec narrat: „. . . ibi (sc. in Vesuvio) cum obsiderentur a Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitineis delapsi vinculis ad imas eius descendere radices et exitu inviso nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuerunt“. Gravissimum vero argumentum, Sallustium hoc loco Frontini fontem fuisse, in fragmento quodam, quod haud dubie ad hoc strategema spectat,

---

[1]) Peter, d. Quellen Pl. in den Biogr. d. Römer.
[2]) Kempf, praef in Val. Max. p 17.
[3]) Eussner, in Philologi Vol. 34 p. 160 sqq: et 37 p. 131 sqq.
[4]) Peter, l. c. p. 109.



habemus: „Sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros“. Sall. hist. frgm. Dietsch p. 127 frg. 21. Kritz 3, 67.

De str. 1, 5, 22 legas Plut. Crass. c. 9 et App. bell. civ. 1, 116. Multo magis hic quoque fragmentum valet, quod cum Frontini strategemate conferatur.

| Fr. 1, 5, 22. | Sall. Dietsch 3, 67 Col. II. Kritz, 3, 77. |
|---|---|
| Idem, cum a P. Varinio proconsule praeclusus esset, palis per modica intervalla fixis ante portam erecta cadavera, adornata veste atque armis adligavit, ut procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis Imagine vana deluso hoste copias silentio noctis eduxit. | Deinde fugitivi consumptis iam alimentis, ne praedantibus ex propinquo hostis instaret, soliti more militiae vigilias stationesque et alia munia exequi secunda vigilia furtim cuncti egrediuntur, relicto bucinatore in castris, ad vigilum speciem procul visentibus, erexerant fulta palis fixis recentia cadavera et crebros ignes fecerant formidine . . . . . Varini . . . . ti . . . |

Str. 1, 7, 6 ex Sall. hist haustum esse, duo fragmenta docent.

| Fr 1, 7, 6. | Sall. hist. D 4, 1—2. Kr. 4, 22—23. |
|---|---|
| Spartaco copiisque eius scuta ex vimine fuerunt, quae coriis tegebantur. | Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ea arte se quisque in formam parmae equestris clupeo armabat. Coria recens detracta quasi glutino adulescebant. |

Etiam Florus in l. 8 2, § 6 (3, 20) Sallustio usus esse videtur forsitanque Appiani, (bell. civ. 1, 116) verba ad hanc rem pertinent: *καί τινων ὁδοιπόρων ξύλοις καὶ ξιφιδίοις ὁπλισάμενος ἐς τὸ Βέσβιον ὄρος ἀνέφυγεν*. Str. 1, 10, 1 ex Sall. hist.; quod strategema perpaucis dissentiens rebus habent Plutarchus[1]) in v. Sert. c. 16 et Valerius Maximus in l. 7, 3, 6. De str. 1, 10, 2, ex Sall. haud dubie hausto nihil apud alios invenitur; sed ad str. 1, 11, 13 videas velim Val. Max.

---

[1]) Peter l c. p. 64.

in epitomis Paridis et Nepotiani et Plut. Sert. c. 11 et Polyaen. 8, 22.

| Fr. 1, 11, 13. | Val. Max 1, 2, 4—5. |
| --- | --- |
| Q. Sertorius, cum barbaro et rationis indocili milite uteretur, cervam candidam insignis formae per Lusitaniam ducebat et ab ea, quae agenda aut vitanda essent, praenoscere se adseverabat, ut barbari ad omnia tamquam divinitus imperata obedirent. | Par: Q Sertorius per asperos Lusitaniae colles cervam albam trahebat, ab ea se quaenam aut agenda aut vitanda essent praedicans admoneri. Nepot: Sertorius in exercitu Hispano albam cervam habuit, quam persuasit barbaris monitricem sibi esse. |

Str. 1, 1, 12 ex Sall. hist depromptum esse videtur, quamquam, an Metellus ille Sertorii adversarius fuerit necne incertum est; quae res etiam apud Val. Max. (7, 4, 5) non liquet.

| Fr. 1, 1, 12. | Val. Max 7. 4. 5. |
| --- | --- |
| Metellus in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset, tunicam meam, si id eloqui posset, inquit, comburerem. | . . . . interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum et incertum militiae genus sequeretur, absiste, inquit, istud quaerere; nam si huius consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuo eam cremari iubebo. |

Quod sequitur strategema ex Sall. hist. haustum esse censeo. Str. 2, 1, 2 ex Sall. hist.; ad quod fragmentum, in quo pugna inter Metellum et Hirtuleium commissa enarratur, spectare videtur: „Occurrere duces et proelium adcendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent." D. 2, 17. Kr. 2, 21. cf. Liv. epit. 91. Oros. 5, 23, 5. Flor. 2, 10 (3, 22). Sic etiam str. 2, 1, 3 ex Sall. hist. petitum est. De str. 2, 1, 14 vide apud App. Mithr. c. 84 sqq. et Plut. Luc. c. 26 sqq. Plutarchi auctorem Sallustium fuisse constat.[1]) De str. 2, 2, 4 cf. App. Mithr. c. 85 et Plut. Luc. c. 27, qui cum Frontino valde congruunt. Apud Plut. legimus „*κατάφρακτοι*", ad quod verbum Sallustii fragmentum spectare videtur: „Qui praegrediebantur equites catafracti ferrea omni specie." D. 4, 57. Kr. 4. 16. — 2, 3, 5 cf. 2, 1, 2. — De str. 2, 4, 7 lege Plut. Crass. c. 11, cuius auctor Sallustius est".[1])

[1]) Peter l. c. p. 106.



| Fr. 2, 4, 7. | Plut. Crass. c. 11. |
| --- | --- |
| Licinius Crassus, fugitivorum bello apud Calamatium (montem) educturus militem adversus Castum et Gannicum duces Gallorum, duodecim cohortes cum C. Pomptinio et Q. Marcio Rufo legatis post montem circummisit. Qui cum, commisso iam proelio, a tergo clamore sublato decucurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fuga, nusquam pugna, capesseretur. | *Πρῶτον μὲν οὖν διαγνοὺς τοῖς ἀφεστῶσι καὶ κατ' ἰδίαν στρατευομένοις, ὧν ἀφηγοῦντο Γάϊος Καννίκιος καὶ Κάστος ἐπιθέσθαι, λόφον τινὰ προκαταληψομένους ἄνδρας ἑξακισχιλίους ἀπέστειλε, λανθάνειν πειρᾶσθαι κελεύσας. Οἱ δ' ἐπειρῶντο μὲν τὴν αἴσθησιν ἀποκρύπτειν τὰ κράνη καταμπέχοντες, ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυαῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις ἐκινδύνευσαν, εἰ μὴ Κράσσος, ὀξέως ἐπιφανεὶς μάχην ἔθετο πασῶν καρτερωτάτην, ἐν ᾗ τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις καταβαλὼν δύο μόνους εὗρε κατὰ νώτου τετρωμένους, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἑστῶτες ἐν τάξει καὶ μαχόμενοι τοῖς Ῥωμαίοις ἀπέθανον.* |

Accedit fragmentum: „Legiones pridie in monte positas arcessivit." D. 4, 16 Kr. 4, 43. cf. Liv. epit. 97, Oros. 5, 24, 6. De str. 2, 5, 30 vide apud App. Mithr. c. 79 et Plut. Luc. c. 16, cuius auctor Sallustius est;[2]) sed de nominibus dissentiunt, quod vero nullius momenti est. Frontinus et Appianus scripserunt: Olcabas, Plutarchus: *Ὀλθακός*. Plut. l. c.: *Ὀλθακὸς . . . ὑπέσχετο τῷ Μιθριδάτῃ μέγα ἔργον, ἀποκτενεῖν Λούκουλλον . . . . ἀφιππάσσατο πρὸς Λούκουλλον . ὁ δ' ἄσμενος ἐδέξατο . . . .*

In str. 2, 5, 31 Frontinus sub finem longissimi strategematis Livii auctoris mentionem fecit; cum autem non unicum fontem fuisse, sed praeterea Sallustium excerptum esse persuasum habeo. Quamobrem Plutarchus, qui Sallustium unum

[1]) ibid. p. 109.
[2]) Peter l. c. p. 109

secutus est,[1]) haud plane cum Frontino consonat. Hunc vero Sallustio plurima debere tribus fragmentis cognoscitur:

| Fr. 2, 5, 31. | Sall. hist. frgm. |
| --- | --- |
| 1) . . . Hispanos, aptissimos ad furta bellorum. | D. et Kr. 1, 86. gentis ad furta belli peridoneae. |
| 2) . . . . ut in prima parte leves Hispanos, aptissimos ad furta bellorum, ponerent, paullo interius scutatos, in remotissimo equites. | D 2, 15. Kr. 2, 22. Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant, prima qui forte in manus venientes exciperent. |
| 3 sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo (sc Laelio) elisa est. | D. 2, 16. Kr. 2, 23. Receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore. |

cf. App. b. civ. 1, 109. Liv. 91. Flor. 2, 10 (3, 22). Oros. 5, 23. Ad str 2, 5, 32 v. App. b. c. 1, 116. Flor. 2, 10 (3, 22). Oros. 5, 23. — ad str. 2, 5, 34 v. 2, 4, 7 et Liv. 97. Ad quod strategema duo quoquo fragmenta spectare videntur.

| Fr. 2, 5, 34. | Sall. hist frgm. |
| --- | --- |
| . . . . nocte deinde commutatis copiis, manente praetorio in maioribus castris, ut fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit et in radicibus praedicti montis constituit. | D. p. 131, frg. 40. Kr. incert. lib rel. 6. Radicem montis excessit. D 4, 16. Kr. 4, 43 Legiones pridie in monte positas arcessivit. |

Praeter str. 3, 17, 5, de quo videas velim apud Oros. 6, 2, 10. App. Mithr. c. 54. Plut Luc. c. 33, etiam str. 3, 13, 6 ex Sall. hist petitum est.

| Fr 3, 13, 6 | Sall. hist frgm. |
| --- | --- |
| L. Lucullus Cyzicenos obsessos a Mithridate ut certiores adventus sui faceret, cum praesidiis hostium teneretur introitus urbis, qui unus et angustus ponte modico insulam continenti iungit, militem e suis nandi et nauticae artis peritum iussit, insidentem duobus inflatis utribus litteras insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem milia passuum traiectum. Quod ita perite gregalis fecit, ut cruribus velut gubernaculis demissis cursum dirigeret et procul visentes, qui in statione erant, marinae species beluae deciperet. | D. 3, 19 Kr. 3, 20. Duos quam maxumos utris levi tabulae subiecit, quam super omni corpore quietus insidens invicem tracto pede quasi gubernator regeret iter. Ea inter molem quae insulam . . . . mari vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit. |

[1]) ibid. p. 61.



Flor. (1, 40 § 16 (3, 5) hoc ab Lucullo ipso factum esse tradidit. v. etiam Oros 6, 2 § 14.

## De Livio.

Sallustii fragmentis aliorumque auctorum scriptis, quae ad illum referenda sunt, adhibitis, suspicatus esse mihi videor, eum Frontino viginti circiter strategemata praebuisse. Reliquum est, ut eodem modo demonstretur, Frontinum ex Livii libris non iam extantibus multa hausisse. Qua in quaestione auctores adeamus necesse est, quos Livio usos esse pro certo habemus. Hi sunt Orosius, Florus, Plutarchus, Valerius, Maximus, alii; neque scriptores, qui eosdem cum Livio fontes usurpaverunt, ut Gellius aliique neglegendi sunt.

Notabile singulareque est Fr. str. 1, 5, 15, quod, quamquam etiam apud Livium in l. 22. c. 60 § 11 haud dissentiens legitur, ex hoc Livii libro non petitum est. Dum enim Livius nomen Calpurnii Flammae tradit, Frontinus scripsit: „alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt.“ Quibus ex verbis Frontino huius strategematis complures auctores fuisse intellegitur, nisi, quod vero propius est, eum hoc ex libro XVII Livii excerpsisse putamus. Cuius in epitome scriptum est: „Atilius Calatinus cos., cum in locum a Poenis circumsessum temere exercitum duxisset, M. Calpurni tribuni militum virtute et opera evasit, qui cum CCC militibus eruptione facta hostes in se converterat.“ Jamque Livium in illo libro omnia quae de hoc viro ferebantur nomina tradidisse valde probabile videtur,

neque quidquam valet, quod duo in epitome desunt nomina, cum eum, qui epitomen scripserit, notissimum nomen elegisse satis appareat (cf. Front: „plurimi Calpurnium Flammam vocitatum scripserunt") Cum vero Livius hoc exemplum etiam in oratione quadam iterum praeberet, cum omnia nomina hoc loco reddere non oportuit. Frontinum vero id ex Livio hausisse ex his cognosci potest. Gellius, qui (noct. Att. 3, 7) eadem narrat nomenque unum Q Caedicii tradit, de numero militum dissentit, Livio et Floro (1, 18) cum Frontino consentientibus. Gellius autem se Catone usum esse ipse dicit. Etsi igitur Frontinus quoque ex illo hausisset, unum nomen Q. Caedicii tradere potuisset. Quod non fecit, cum in militum numero etiam a Catone discreparet. Florus vero, quocum Frontinus bene consonat, Livium secutus est et, cum epitomen scriberet, notissimum nomen Calpurnii elegit, ita et Orosius 4, 8. Attamen Florus Gelliusque, quorum alter Livio, alter Catone usus est, in uno consentiunt, ut Calpurnium-Caedicium cum Leonida, cuius Frontinus nullam mentionem fecit, comparaverint. Neque hoc loco utrum Livius praeter alios Catonem etiam, an uterque eundem auctorem secutus sit, nos disquirere necesse est; nam ex omnibus rebus Livium huius exempli Frontino auctorem fuisse satis liquet. Quae de hac re Florus et Gellius scripserunt, conferantur.

| Flor. 1, 18 (2, 2) § 12. | Gell noct Att. 3, 7. |
|---|---|
| Calatino dictatore . . . . . sed eximia virtute Calpurni Flammae tribuni militum evasimus. qui lecta trecentorum manu insessum ab hostibus tumulum occupavit atque moratus hostes est, dum exercitus omnis evaderet. ac sic pulcherrimo exitu Thermopylarum et Leonidae famam adaequavit | Historia, ex annalibus sumpta de Q. Caedicio, tribuno militum: verbaque ex originibus M. Catonis apposita, quibus Caedicii virtutem cum Spartano Leonida aequiperat. Pulcrum, dii boni, facinus Graecarumque facundiarum magniloquentia condignum M. Cato libris originum de Q. Caedicio, tribuno militum scriptum reliquit. . . . |

Fr. str. 1, 5, 17 ex Liv. l. 89. De Papio Mutilo cf. Oros. 5, 18 et App. b. civ. 1, 51. — str. 1, 7, 1 ex l. 18 cf. Oros. 4, 9, 14. Flor. 1, 18 (22) et Diod. 23, 21.



Quamobrem Woelfflinus hoc strategema bello Punico primo gestum Coelio attribuendum esse censuerit, non conspicuum est;[1]) neque enim satis esse videtur, ut „tabulamentum" ἅπαξ εἰρημένον idque verbum Coelianum esse dicat; nam quae omnia de Coelio tradita habemus, ex iis non cognoscitur, Coelium etiam tempora ante bellum Punicum secundum descripsisse. Str. 1, 7, 3 ex Liv. l. 52, qui Carthaginis obsidionem et expugnationem continet. Legas App. Pun. c. 93, qui omnes belli apparatus, non autem hoc strategema ibi enarravit, et Flor. l. 1, 31 (2, 15) § 10.

| Fr. 1, 7, 3. | Flor. 1, 31 (2, 15). |
|---|---|
| Carthaginiensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebantur, crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt | qui rebellantium fuerit furor, vel hinc intellegi potest, quod in usum novae classis tecta domuum resciderunt, in armorum officinis aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est, in tormentorum vincula crinis suos matronae contulerunt. |

Str. 1, 8, 4 ex l. 11 cf. epit.: „Curius Dentatus consul Samnitibus caesis et Sabinis, qui rebellaverant, victis et in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit." cf. Flor. 1, 10 (1, 15) et Oros. 3, 22 § 11. — Str. 1, 9, 2 ex l. 75. Orosius qui in l. 5, 18 ex Livio hausit, haud dubie eadem ac Frontinus narrat.

| Liv. epit. 75. | Fr. 1, 9, 2. | Oros. 5, 18 § 22. |
|---|---|---|
| A. Postumius Albinus legatus cum classi praeesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sylla legatus Samnites proelio vicit et bina castra eorum expugnavit. | L. Sulla, cum legiones civium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis. Propere enim adnuntiari iussit hostem adesse et ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere. Discussa seditio est, universis adversus hostem cousentientibus. | Anno ab urbe condita DCLXI cum ad obsidendos Pompeios Romanus esset exercitus et Postumius Albinus vir consularis, tunc L. Sullae legatus, intolerabili superbia omnium in se militum odia suscitasset, lapidibus occisus est. Sulla consul civilem cruorem nonnisi hostili |

---

1) Woelfflin. Coel. Ant. p. 77. adnot.

sanguine expiari posse testatus est: cuius rei conscientia permotus exercitus ita pugnam adortus est, ut sibi unus quisque pereundum videret, nisi vicisset.

Frontinus in 1, 11, 11 de Sullae strategemate quodam agit, quod ap d Val. Max. in epitomis Paridis et Nepotiani et apud Plut. Sull. c. 29. legimus Livioque in hac Sullae vita scribenda Plutarchum usum esse, satis constat;[1]) et Valerii quoque auctor Livius est.

| Fr. 1, 11, 11. | Plut. Sull. c. 29. | Val. Max. |
|---|---|---|
| L. Sulla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, praedici sibi a Diis futura simulavit. Postremo etiam in conspectu exercitus, priusquam in aciem descenderet, signum modicae amplitudinis, quod Delphis sustulerat, orabat petebatque promissam victoriam maturaret. | Λέγεται δ' ἔχων τι χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἀγαλμάτιον ἐκ Δελφῶν ἀεὶ μὲν αὐτὸ κατὰ τὰς μάχας περιφέρειν ἐν τῷ κόλπῳ. | Par. 2, 3<br>L. Sulla, quotiens proelium committere destinabat, parvum Apollinis signum Delphis sublatum in conspectu militum complexus orabat, ut promissa maturaret<br>Nepot: Sulla proeliaturus, simulacrum Apollinis Delphis ablatum suppliciter orabat in conspectu militum, ut promissa praestaret, videbaturque mire ad bellum fretus. |

Str. 1, 11, 12 ex Liv. cf. Val. Max. et Plut.[2]) qui Livium secuti sunt.

| Fr. 1, 11, 12. | Plut. Mar. c. 17. | Val. Max. 1, 2, 4. Nepot. |
|---|---|---|
| C. Marius sagam quandam ex Syria habuit, a qua se dimicationum eventus praediscere simulabat. | Καὶ γάρ τινα Σύραν γυναῖκα, Μάρθαν ὄνομα, μαντεύεσθαι λεγομένην ἐν φορείῳ κατακειμένην σεμνῶς περιήγετο, καὶ θυσίας ἔθυεν, ἐκείνης κελευούσης. | Syram mulierem Marius in castris habebat sacricolam, ex cuius se auctoritate asserebat omnia aggredi |

1) Peter l. c. p. 59.
2) Peter, l. c. p. 105.



Str. 1, 11, 20 ex Liv. l. 81. cf. Plut. Sull. c. 21 sqq. et App. Mithr. 30—41., qui ibidem Piraei obsidionem referunt. — Str. 1, 12, 1 ex l. 51 cf. Val. Max. in Nepotiani epitome 2, 7, 3. (pag. 493, ed. Halm).

| Front. 1, 12, 1. | Nepotianus. |
|---|---|
| Scipio, ex Italia in Africam transportato exercitu, cum egrediens navem prolapsus esset et ob hoc adtonitos milites cerneret, id quod trepidationem adferebat, constantia et magnitudine animi in hortationem convertit et „Ludite", inquit, „milites, Africam obpressi". | Scipio, ut in Africanam terram descendit, cecidit. hoc factum pavente exercitu exclamavit, teneo te, terra Africa, et vicit. |

Str. 1, 12, 3 ex lib. 15. cf. Oros. et Flor., qui optime cum Frontino consentiunt.

| Fr. 1, 12, 3. | Flor. 1, 14 (1, 19). | Oros. 4, 4, § 5. |
|---|---|---|
| P. Sempronius Sophus consul, acie adversus Picentes directa, cum subitus terrae motus utrasque partes confudisset, exhortatione confirmavit suos et impulit, ut consternatum superstitione invaderent hostem, adortusque devicit. | .... domiti ergo Picentes et caput gentis Asculum Sempronio duce, qui tremente inter proelium campo Tellurem deam promissa aede placavit. | .... Sempronius consul adversus Picentes duxit exercitum; et cum directae intra iactum teli utraque acies constitissent, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumque pavefactum agmen hebesceret. diu attoniti utrimque populi haesitavere praeiudicata incepti conscientia; tandem procursu concito iniere certamen. triste adeo id bellum fuit, ut merito dicatur, tantum humanum sanguinem susceptura etiam cum gemitu horrisono tunc terra tremuisse. Romani pauci admodum eo proelio qui evasere vicerunt. |

Str. 2, 1, 12 ex Liv. l. 100—101 cf. Oros. 6, 4, 4, Flor. 1, 40 Dio Cass. 36, 48 (31). Plut. Pomp. c. 32.

Flor. 1, 40 (3, 5) § 22.

.... statim ponte navibus facto omnium ante se primus transiit Euphratem regemque fugientem media nanctus Armenia — quanta felicitas viri — uno proelio confecit; nocturna ea dimicatio fuit et Luna in partibus. quippe quasi commilitans cum dea a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset, Pontici per errorem longius cadentis umbras suas quasi hostium corpora petebant.

Oros. 6, 4, 4.

Pompeius fugientes persequi intendit; itaque bellum nocte commissum est. luna tunc orta a tergo Romanis erat. regii longitudinem umbrarum proximitatem hostium rati cuncti in inritum tela fuderunt.

Str. 2, 2, 8 ex Liv. l. 68 cf. Plut. Mar. c. 26. Flor. 1, 38 (3, 3) Oros. 5, 16, 14.

Str. 2, 3, 14 ex l. 101 cf. Dio Cass. 37, 4, et Plut. Pomp. c. 34. — 2, 3, 17 ex l. 81. Plutarchus in Sullae vita (c. 21) eadem quae Frontinus narrat. De Livio Plutarchi fonte legas Peter, die Quellen Plutarchs p. 59.

Front. 2, 3, 17.

Contra haec Sulla fossas amplae latitudinis in utroque latere duxit.

Plut Sull. c 21.

*ὁ δὲ Σύλλας ὤρυττε τάφρους ἑκατέρωθεν, ὅπως, εἰ δύναιτο, τῶν στερεῶν καὶ ἱππασίμων ἀποτεμόμενος τοὺς πολεμίους ὤσειεν εἰς τὰ ἕλη.*

Et Appianus (Mithr. c. 49) ad hoc spectare videtur: *ὡς δὲ εἶδε τῆς ἐπελθούσης ἵππου τὸ πλῆθος, ὤρυσσε τάφρους πολλὰς ἀνὰ τὸ πεδίον εὖρος δέκα πόδας καὶ ἐπιόντος αὐτῷ τοῦ Ἀρχελάου ἀντιπαρέταξεν.*

2, 3, 22, strategema in pugna Pharsalica gestum continens non ex Caes. b. civ. 3, 90 sqq. sed ex Liv. l. 111 excerptum est. Etsi Orosius (6, 15, 23) praecipue de numeris a Frontino dissentit, tamen cum in reliquis cum eo consentit, utrumque Livio usum esse censeo. cf. App. (b. c. 2, 75) qui etiam de numeris discrepat.

Str. 2, 3, 24 ex Liv. l. 17. Florus (1, 18, (22) iisdem fere verbis usus est.

Fr. 2, 3, 4.

C. Duilius cum videret, graves suas naves mobilitate Punicae classis eludi inritamque virtutem militum fieri, excogitavit manus ferreas; quae ubi hostilem adprehenderunt navem, superiecto ponte transgrediebatur Romanus et in ipsorum ratibus comminus hostes trucidabat.

Flor. 1, 18.

proelii vero forma mirabilis, cum illas celeris volucrisque hostium navis hae graves tardaeque comprehenderent. longe illis nauticae artes, detorquere remos et ludificari fuga rostra. iniectae enim ferreae manus machinaeque validae, ante certamen multum ab hoste derisae, coactique hostes quasi in solido decernere.



Strat. 2, 4, 3 ex l. 65. cf. epit. 65. Eutrop. 4, 27. Flor. 1, 39 (3, 4). — 2, 4, 6 ex l. 68 cf. Plut. Mar. (c. 20—21), qui ex Livio hausit.[1]) — 2, 4, 13 ex l. 13 cf. epit. 13: ... „elephantorum maxime inusitata facie territis militibus.“ cf. Flor. 1, 13 (1, 18) et Oros. 4, 1, 9. — 2, 5, 4 ex l. 18 cf. Oros. 4, 9, 15: „sed Metellus vim magnam beluarum timens prius eas magno usus consilio vel in fugam vel in mortem egit et sic facile quamvis magnam vim hostium superavit.“ cf. Front. 1, 7, 1. Polyb. 1, 40, 7. — Str. 2, 5, 7 ex l. 52.

Fr. 2, 5, 7.

Viriatus, ex latrone dux Lusitanorum, cedere se Romanis equitibus simulans, usque ad locum voraginosum et praealtum eos perduxit; et cum ipse per solidos ac notos sibi transitus evaderet, Romanos ignaros locorum immersosque limo cecidit.

Liv. epit. 52.

Viriatus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus . . .

Flor. 1, 33 (2, 17).

ceterum Lusitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimae. qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator . . .

cf. Oros 5, 4, 3. App. Hisp. 63—69.

Str. 2, 5, 33 ex l. 100—101 cf. App. Mithr. 98. Dio. Cass. 36, 47.

Str. 2, 5, 39 ex l. 118—119.

Fr. 2, 5, 39.

Antonius apud Forum Gallorum, cum Pansam consulem adventare comperisset, insidiis per silvestria

Oros. 6, 18, 3.

Pansa primo veniens exceptus insidiis, inter suorum clades ipse quoque pilo graviter vulneratus ab eo-

[1]) Peter l. c. p. 105.

Aemiliae viae dispositis, agmen eius excepit fuditque, et ipsum eo vulnere adfecit, quo intra paucos dies exanimaretur. | dem vulnere interpositis diebus est mortuus.

Str. 2, 7, 12 ex l. 68. Eadem Florus, (1, 38) Orosius (5, 16, 10) Plutarchus (Mar. c. 16) referunt. — 2, 8, 12 ex l. 82 cf. Plut. Sull. c. 21. — 3, 7, 1 ex l. 93 cf. Flor. 1, 41 (3, 6) et Oros. 5, 23, 22. — 3, 9, 4 ex l. 17 cf. epit. 17 et Flor. 1, 18 (2, 2). ita et 3, 10, 2. — 3, 13, 7. 8 ex l. 118—119 hausta sunt. De str. 3, 17, 8 videas apud Cass. Dion. l. 46, 36 et Plin. h. n. 10, 37. Str. 3, 14, 1, quod Caesar non habet, ex Liv. l. 115 petitum est. cf. Cass. Dio. 43, 44.

En habes omnes qui apud alios scriptores inveniuntur locos et ex iis Livium ab initio operis usque ad finem a Frontino excerptum esse cognovimus. Neque quidquam superest, nisi ut cetera strategemata, quae ad res Romanas spectant, Livio attribuamus, paucis exceptis, de quibus non constat, utrum Frontinus ea ex Trogo an ex Livio an ex Sallustio hauserit. De nonnullis eorum alio loco mihi dicendum erit, de aliis in tabula adiecta nonnulla verba adduntur.

## De Pompeio Trogo.

Pompeium Trogum etiam in numero auctorum, quibus Frontinus usus sit, conlocandum esse, iam antea cognovimus; tamen, quot exempla ex opere eius hausta sint, satis non constat. Haec quaestio Justini epitome aut prologis disceptari non potest, praesertim cum omnia, quae apud Justinum inveniebantur iam in priore dissertationis parte tractata sint. Frontinum Trogo saepius usum esse probetur necesse non est; mirum enim esset, si non plura quam quae iam memoravi strategemata ex tanto Trogi opere, quod copiosissimam exemplorum materiam haud dubie praebebat, Frontinus hausisset. Quae omnia apud Justinum non invenimus, cum epitome eius angustissima et brevissima sit, quippe quae perpaucas res pluribus verbis relatas contineat, ut bella Persarum, res a Cyro, ab Hannibale post bellum Punicum gestas aliasque nonnullas.



Ex his potissimum operis partibus Trogum Frontini auctorem fuisse cognoscitur. Quantopere autem Justinus in aliis partibus Trogi libros in angustum redegerit, ex eo intellegi potest, quod in prologis iam brevissimis res indicantur, quarum Justinus nullam fecit mentionem, ut in prol. 3 de bello Crisaeico, in prol. 40 de pugna ad Actium commissa aliaque. v. Holm, Gesch. Siciliens I, 317 et Ennmann, Unters. ueb. d. Q. des Pomp. Trog. p. 118 sqq.

Priusquam autem quaestionem de Trogo Frontini auctore solvam, me perscrutari oportet, num Frontinus et fontibus lingua Graeca scriptis usus sit. Cum enim strategemata, quae ex Trogo petita esse scimus, et in rebus Persicis, et Scythicis et Parthicis et Graecis et Macedonicis et Punicis versentur, Frontinum non una vel altera quadam Trogi parte, sed toto eius opere usum esse cognoscimus. Si igitur Frontinus in strategematis externis enarrandis ex Graecis quoque fontibus hauserit, de his internoscendis desistamus oportet. In plurimis enim Trogus eandem ac Graeci materiam obtulisset, quamobrem, si Trogus ipse nobis traditus esset, inter eos internosci non posset, cum multi eorum, quibus Frontinus usus fuisset, hodie non extent, ut Theopompus, Ephorus, Hieronymus, Timaeus aliique, dum Herodotus, Thucydides, Xenophon cum Frontino, non cum Trogo comparari possunt; quod necessarium esset, quia ex temporibus, quae illi descripserunt, nonnulla apud Frontinum tradita strategemata ex Trogo sumpta esse constat. Quae autem rerum iniquitas non adest, quod nulla Graecorum auctorum vestigia inveniuntur; verba enim ut 2, 2, 13 „numero barbarorum“ et 2, 2, 14 „exercitus barbarorum“, quae huius generis indicia essent, Frontinum ex auctore Romano Graecos fontes secuto transscripsisse, facile intellegitur. Quare mihi non probanda esse videtur Heilandii sententia in praef. ad Xenoph. Agesilaum p. XXXII prolata: „Frontinus in strategematis nonnulla nobis proposuit Agesilai bellici ducis artificia, sed ita ut saepe satis neglegenter fontibus usus sit. Quod ut uno exemplo comprobem, in libro 1, 8, 12, qui locus viris doctis difficultates paravit, duo strategemata miscuit et in unum coniunxit. Alia strategemata

leguntur 1, 4, 2. 10, 3. 11, 5. 17. — 2, 6, 6. — 3, 11, 2." Quamquam exempla, quae Heilandius attulit, a Xenophonte haud dissentiunt, tamen argumentum gravissimum, Xenophontem Frontini auctorem non esse, in eo habere mihi videor, quod str. 1, 8, 12 cum Xen. Ag. 1, 16 non congruit, nisi additis iis, quae in Xen. 1, 29 narrantur. Si ita res se haberet, Frontinus hoc uno loco duo strategemata ex uno eodemque auctore hausta in unum confudisset. Quod nunquam aliter neque hoc loco fecit: ex Trogo iam confusum strategema sumpsit. Accedunt nonnulla alia. Perlegenti mihi Xenophontis opera nullum se praebuit exemplum, quod Frontinus in usum suum vocavit, quamvis eorum ducum, quorum apud Xenophontem mentio fit, permulta strategemata a Frontino narrentur. Quae res multum ad Heilandii sententiam refutandam affert.

Si Frontinus etiam fontibus Graecis usus esset, rerum Graecarum, quae vix quartam librorum partem perficiunt, plures quam Romanarum habuisset auctores, nisi ex opere, quod totam externam historiam Graeca lingua tractaverit, ut ex Ephori historia praeter Trogum hausisset. Quorum neutrum demonstrari potest. Omnia externa strategemata ex Trogo collegit, cuius opus adhibenti alios auctores Graecos desiderare ei non opus fuit, cum ille eandem materiam et latine quoque descriptam et in unum opus coniunctam praeberet.

Hic quoque quomodo Frontini liber ortus sit, nobis respiciendum est. (cf. p. 2.) Totum Trogi opus legens Frontinus ea strategematum exempla excerpsit, quae indoli sui operis apta esse videbantur. Quod autem maxime valet, omnia strategemata in Trogi opere collocari possunt nullaque sunt, quae fines eius transgrediantur. Saepissime quoque, ex quo libro strategemata hausta sint, doceri potest, perpaucis exceptis, quae, quod certa indicia desunt, pluribus libris, non uni attribui possunt. Quae omnia in tabula adiecta inveniuntur. Hoc loco, quo de Trogo disserere desinam, reliquum est, ut nonnulla afferam strategemata, quorum origo incerta est. — 1, 1, 6 ex Liv. l. 128 aut ex Trog. l. 42. cf. Just. 42, 4, 7. Dio Cass. 49, 19. Oros. 6, 18, 23. Flor. 2, 19 (4, 9).



2, 2, 5 ut 1, 1, 6 ita et 2, 3, 15.

2, 5, 35 ex Liv. l. 106—108 aut Trog. l. 42 cf. Just. 42, 4, 5. cf. Dio. Cass. 40, 29. Oros. 6, 13, § 5.

2, 5, 36 ex Liv. l. 128 aut Trog. l. 42. cf. Just. 42, 4, 7. ita et 2, 5, 37.

Praeter strategemata, de quibus iam disserui, nonnulla sunt, quae tempore, quo Frontinus floruit, gesta sunt. Ea Frontinum ipsum enarrasse certe constat. De strat. Domitii Corbulonis, 2, 9, 5 legas Tac. annalium l. 13, 8, qui cum Frontino ex eodem fonte hausisse videtur.

---

Frontinum igitur septem auctores in conscribendo libro adhibuisse intelleximus. Nam verisimile est, eum tribus annalium scriptoribus usum esse, quoniam vestigia Catonis et Coelii perlucide cognosci possunt. Neque eum auctore, qui Catonis Coeliique scripta ita conglutinaverit, ut illi apud Frontinum internosci possent, usum esse suspicari possumus. Qui liber, si ita res se haberet, ab urbe condita exorsus usque ad pugnam ad Pydnam commissam minime deduci debebat.

Ut de libro, qui dicitur quartus, nonnulla dicam, is, quia falsus est, in dissertatione, quae in fontibus Frontini disquirendis versatur, non commemorandus esse videtûr. Praeter causas, quibus iam Wachsmuthius eum falsum esse demonstrare studuit, ea mihi maxime valere videtur, quod in hoc libro conscribendo non omnes, quos antea cognovimus auctores adhibiti sunt: contra aliorum fontium vestigia occurrunt, velut Valerii Maximi et Scauri, cuius ab eo ipso conscripta vita semel allata est. (4, 3, 13.) Eam ob causam liber non a Frontino, sed ab anonymo quodam posterius conscriptus et illius libris adiunctus esse videtur. Mirum enim esset, si Frontinus ad librum quartum conscribendum partim auctores nonnullos, quos antea secutus erat, neglexisset, partim alios, quorum in primis libris nulla vestigia inveniebantur, subito adhibuisset. Quamdiu de tempore quidem, quo confectus sit, nihil certius, quam quod Wachsmuthius iam constituit, habemus, de auctoribus in eo conscribendo adhibitis nihil explorati dici potest. Nonnulla qui-

dem Wachsmuthius et Woelfflinus in dissertationibus, quas supra dixi, attulerunt. Livium, Trogum, Valerium Maximum auctores esse constat; quorum tamen Valerium tot exempla, quot Wachsmuthius censuit, non praebuisse iam Woelfflinus probavit. — Priusquam de aliis auctoribus breviter agam, liceat mihi dicere, multa exempla adesse, ex quibus, quia in iis, utrum Livius an Valerius Maximus auctor fuerit, non discernitur, anonymum nostrum alio etiam modo excerpendi et scribendi usum esse cognoscitur. — Sall. bell. Jug. anonymo nostro nihil dedisse idem Woelfflinus docuit; num ex historiis eius hauserit, quaestio oritur; fragm. enim 2, 33 D, 2, 41 Kr. ad str. 4, 1, 43 spectare videtur; tamen id certum non habemus, cum alia vestigia desiderentur. Caesare cum non usum esse constat; nam 4, 7, 1 quidem apud Caes. b. c. 1, 71—72 legimus, qui tamen locum, quo medici mentio fit, non habet; de str. 4, 5, 2 cf. 1, 9, 4. Annalibus Catonis Coeliique usus esse videtur. Uno loco et Scauri vita affertur. Alios quoque fontes adhibitos esse, sicut Wachsmuthius censet, verisimile est, de quibus tamen disserere ab hoc de Frontino opusculo conscripto alienum est.





# Tabula.

| Str. | Liber primus. |
|---|---|
| | Caput I. |
| 1 | Ann. Cat. |
| 2 | Trog. 19. |
| 3 | Ann. Coel. |
| 4 | Liv 1, 54. |
| 5 | Caes. b. c. 3, 110. |
| 6 | Liv. 128, Trog. 42. |
| 7 | Liv. 100—101. |
| 8 | Frontin. |
| 9 | Liv. 27, 43. |
| 10 | Trog. Just. 2, 15. |
| 11 | interp. |
| 12 | Sall. hist. |
| 13 | Sall. hist. |
| | Caput II. |
| 1 | Ann. Coel. |
| 2 | Liv. 9, 36. |
| 3 | Trog. Just. 21, 6. |
| 4 | Liv. aut Trog. |
| 5 | Cato. |
| 6 | Liv. 67—68. |
| 7 | Ann. Val. |
| 8 | Trog. Just. 2, 6. |
| 9 | Liv. 27, 47. |
| | Caput III. |
| 1 | Trog. 11. |
| 2 | Caes.? |
| 3 | Liv 22, 30. |
| 4 | Trog. Just. 9, 1—2. |
| 5 | Trog. aut Coel. |
| 6 | Trog. Just 2, 12. |
| 7 | interp. |
| 8 | Liv 28, 44 cf. 29, 26 et 30, 19. |
| 9 | Trog. cf. prol. 5. |
| 10 | Front. |

| Str. | |
|---|---|
| | Caput IV. |
| 1 | Ann. Val. |
| 2 | Trog. 6. |
| 3 | Trog. 6. |
| 4 | Trog. 28. |
| 5 | Trog. 6. |
| 6 | Trog. Just. 8, 4. |
| 7 | Trog. Just. 6, 5. |
| 8 | Liv. aut Sall. hist. |
| 9 | Trog. Just. 12, 8. |
| 9a | Trog. Just. 12, 7. |
| 10 | Trog. Just. 5, 11. |
| 11 | Liv. 16—17. |
| 12 | Trog. Just. 4, 4. |
| 13 | Trog. 8—9. |
| 13a | Trog. 8—9. |
| 14 | Trog. 6. |
| | Caput V. |
| 1 | Sall. hist. |
| 2 | Trog. J. 6, 6. |
| 3 | Liv. 68. |
| 4 | Trog. Just. 1, 7. |
| 5 | Caes. b. c. 1, 27. |
| 6 | Liv. 17. |
| 7 | Trog. Just. 5, 5. |
| 8 | Sall. hist. |
| 9 | Caes. b. c. 1, 41. |
| 10 | Trog. Just. 3, 7. |
| 11 | Trog. 15—16. |
| 12 | Ann. Coel. cf. Liv. 25, 36. |
| 13 | Ann. Val. |
| 14 | Liv. 7, 34—35. |
| 15 | Liv 17 cf. 22, 60. |
| 16 | Ann. Val. |
| 17 | Liv. 89. |
| 18 | Liv. 81—82. |

| Str | |
|---|---|
| 19 | Liv. 26, 17. |
| 20 | Sall. hist. |
| 21 | Sall. hist. |
| 22 | Sall. hist. |
| 23 | Trog. 5. |
| 24 | Trog. Just. 6, 5. |
| 25 | Trog. Just. 2, 5. |
| 26 | Liv. |
| 27 | Trog. 19–23. |
| 28 | Liv. 22, 16–17. |

Caput VI.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Ann. Val. |
| 2 | Ann. Val. |
| 3 | Trog. Just. 6, 5. |
| 4 | Liv. 23, 24. |

Caput VII.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Liv. 18–19. |
| 2 | Ann. Coel. |
| 3 | Liv. 52. |
| 4 | interp. |
| 5 | Liv. 119. |
| 6 | Sall. hist. |
| 7 | interp. |

Caput VIII.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Liv. 2, 39. |
| 2 | Liv. 22, 23. |
| 3 | Liv. 10, 27. |
| 4 | Liv. 11. |
| 5 | Liv. 70. |
| 6 | Liv. |
| 7 | Liv. 35, 14. |
| 8 | Sall. Jug. c. 61. |
| 9 | Caes. b. c. 1, 66. |
| 10 | Ann. Coel. |
| 11 | Trog. 20. |
| 12 | Trog. Just. 6, 2. |

Caput IX.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Liv. 7, 38. |
| 2 | Liv. 75. |
| 3 | Liv. aut Sall. |
| 4 | Caes. b. Gall. 1, 40. |

Caput X.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Sall. hist. |
| 2 | Sall. hist. |
| 3 | Trog. 6. |
| 4 | Liv. 63. ? |

Caput XI.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Liv. 2, 44. |
| 2 | Ann. Val. |
| 3 | Caes. b. Gall. 1, 41. |
| 4 | Liv. 16 aut Ann. |
| 5 | Trog. 6. |
| 6 | Trog. 6. |
| 7 | Trog. Just. 2, 14. |
| 8 | Ann Val. |
| 9 | Trog. 6. |
| 10 | Trog. 3 cf prol. 5. |
| 11 | Liv. |
| 12 | Liv. |
| 13 | Sall. hist |
| 14 | Trog 11–12. |
| 15 | interp. |
| 16 | Trog. 6. |
| 17 | Trog. 6. |
| 18 | Trog. 23. |
| 19 | Trog. Just. 1, 6. |
| 20 | Liv. 81. |
| 21 | Liv. aut Ann. |

Caput XII.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Liv. 51. |
| 2 | Liv. 109. |
| 3 | Liv. 15. |
| 4 | Sall. |
| 5 | Trog. 6. |
| 6 | Trog. 6. |
| 7 | Trog 6. |
| 8 | Liv. 44, 37. |
| 9 | Trog. 22–23. |
| 10 | Trog. 3 cf. prol 5. |
| 11 | Trog. Just. 16, 4. |
| 12 | Trog. Just. 6, 5. |



## Liber secundus.

Caput I.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Liv. 28, 14. |
| 2 | Sall. hist. |
| 3 | Sall. hist. |
| 4 | Liv. 19. |
| 5 | Trog. Just. 6, 5. |
| 6 | Trog. 6. |
| 7 | Liv. 2, 30. |
| 8 | Liv. 10, 28. |
| 9 | Trog Just. 9, 3. |
| 10 | Trog. Just. 3, 4–6. |
| 11 | Caes, b. c. 1, 81–83. |
| 12 | Sall. aut. Liv. |
| 13 | Sall. Jug. |
| 14 | Sall. hist. |
| 15 | Front. |
| 16 | Caes. b. Gall. 1, 50. |
| 17 | Front. |
| 18 | Trog. Just. 5, 5–6. |

Caput II.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Liv. 14. |
| 2 | Sall. aut Liv. |
| 3 | Caes. b. Alex. c. 73. |
| 4 | Sall. aut Liv. |
| 5 | Liv. 128 aut Trog. 42. |
| 6 | Ann. Coel. |
| 7 | Coel. aut Liv. 22, 46. |
| 8 | Liv. 68. |
| 9 | Trog. Just. 2, 9. |
| 10 | Trog. |
| 11 | Liv. 18. |
| 12 | Trog. Just 6, 7. |
| 13 | Trog. Just. 2, 11. |
| 14 | Trog. Just. 2, 12. |

Caput III.

| Str. | |
|---|---|
| 1 | Ann. Coel. |
| 2 | Trog. Just. 7, 6. |
| 3 | Trog. 6. |
| 4 | Ann. Coel. |
| 5 | Sall. hist. |
| 6 | Trog. 3. |
| 7 | Liv. 22, 48. |
| 8 | Liv. 27, 48. |
| 9 | Ann. Coel. |
| 10 | Liv. 18. |
| 11 | interp. |
| 12 | Trog. 18–23. |
| 13 | Trog. 6. |
| 14 | Sall. aut. Liv. |
| 15 | Liv. 128 aut Trog. 42. |
| 16 | Liv. 30, 33. |
| 17 | Liv. 81. |
| 18 | Caes. |
| 19 | Trog. 11. |
| 20 | Ann. Val. |
| 21 | Liv. 13. |
| 22 | Liv. 111. |
| 23 | Front. |
| 24 | Liv. 17. |

Caput IV.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Liv. 10, 41. |
| 2 | Liv. 10, 14. |
| 3 | Liv. 65. |
| 4 | Liv. 36, 14. |
| 5 | Liv. 7, 14. |
| 6 | Liv. 68. |
| 7 | Sall. hist. |
| 8 | Liv. |
| 9 | Liv. 13. |
| 10 | Sall. Jug. c. 101. |
| 11 | Trog. 6. |
| 12 | Trog. Just. 1, 7. |
| 13 | Liv. 13. |
| 14 | interp. |
| 15 | Liv. 6, 2. |
| 16 | Liv. |
| 17 | Trog. 44. |
| 18 | Liv. 7, 17. |
| 19 | Liv. 4, 33. |
| 20 | Trog. 9. |

Caput V.

| Str | |
|---|---|
| 1 | Liv. 1, 14. |
| 2 | Liv. 9, 35. |
| 3 | Liv. 40, 48. |
| 4 | Liv. 18–19. |

| Str. | |
|---|---|
| 5 | Trog. Just 1, 8. |
| 6 | Trog. |
| 7 | Liv. 52. |
| 8 | Liv. 40, 30. |
| 9 | Ann. Val. |
| 10 | Trog. 26. |
| 11 | Trog. 19 sqq. |
| 12 | Trog. 19 sqq. |
| 13 | Ann. Coel. |
| 14 | Ann Val. |
| 15 | Trog. 6. |
| 16 | Trog. 39. |
| 17 | Trog. 11—12. |
| 18 | Trog. 11—12. |
| 19 | Trog. 17. |
| 20 | Caes. b. Gall. 7, 60. |
| 21 | Ann. Coel. |
| 22 | Liv. 22, 28. |
| 23 | Liv. 21, 54. |
| 24 | Liv. 22, 4. |
| 25 | Ann. Coel. |
| 26 | Trog. 6. |
| 27 | Coel. cf. Liv. 22, 48. |
| 28 | Liv. |
| 29 | Liv. 30, 5—6. |
| 30 | Sall. hist. |
| 31 | Sall. hist. |
| 32 | Sall. hist. |
| 33 | Liv. 100—101. |
| 34 | Sall. hist. |
| 35 | Liv. 106 aut Trog. 42. |
| 36 | Liv. 128 aut Trog. 42. |
| 37 | Liv. 128 aut Trog. 42. |
| 38 | Caes. b. civ. 1, 69. |
| 39 | Liv. 119. |
| 40 | Caes. b. civ. 2, 40. |
| 41 | Trog. 6.? |
| 42 | Trog. 6. |
| 43 | Liv. |
| 44 | Trog. Just. 5, 4. |
| 45 | Trog. Just. 5, 4. |
| 46 | Trog. 11—12. |
| 47 | Trog. Just. 16, 4. |

| Str. | |
|---|---|
| | **Caput VI.** |
| 1 | Ann. Val. |
| 2 | Ann Coel. |
| 3 | Caes. |
| 4 | Ann. Coel. |
| 5 | Trog. 26. |
| 6 | Trog. 6. |
| 7 | Liv. 2, 47. |
| 8 | Trog. Just. 2, 13. |
| 9 | Trog. 18. |
| 10 | Trog. 18 aut Liv. 13. |
| | **Caput VII.** |
| 1 | Liv. 1, 27. |
| 2 | Liv. |
| 3 | Liv. |
| 4 | Liv. 29, 23—24. |
| 5 | Sall. hist. |
| 6 | Trog. 5. |
| 7 | Liv. 21, 23. |
| 8 | Sall. hist. |
| 9 | Trog. prol. 10. |
| 10 | Liv. 2, 64. |
| 11 | Liv. 2, 47. |
| 12 | Liv. 68. |
| 13 | Liv. 112. |
| 14 | Ann. Cat. |
| | **Caput VIII.** |
| 1 | Ann. Val. |
| 2 | Liv. 3, 70. |
| 3 | Liv. 3, 29. |
| 4 | Ann. Cat. |
| 5 | Liv. 6, 8. |
| 6 | Liv. 6, 24. |
| 7 | Liv. 57. |
| 8 | Liv. 4, 47. |
| 9 | Ann Val. |
| 10 | Liv. 4, 32 interp. |
| 11 | Liv. 10, 35. |
| 12 | Liv, 82. |
| 13 | Liv. 115. |
| 14 | Trog. 37. |



| Str. | |
|---|---|
| | **Caput IX.** |
| 1 | Liv. 68. |
| 2 | Liv. 27, 51. |
| 3 | Liv. 87. |
| 4 | Front. |
| 5 | Front. |
| 6 | Trog. 19. |
| 7 | Trog. 19. |
| | **Caput X.** |
| 1 | Liv. 70. |
| 2 | Liv. 25, 37—40. |
| | **Caput XI.** |
| 1 | Liv. 52. |
| 2 | Sall. aut Liv. |
| 3 | Trogus 11. |
| 4 | Trog. 12. |
| 5 | Liv. 26, 50. |
| 6 | interp. Trog. 11—12. |
| 7 | Front. |
| | **Caput XII.** |
| 1 | Liv. 2, 64—65. |
| 2 | Sall. hist. |
| 3 | Trog. 6. |
| 4 | Trog. 6. |
| | **Caput XIII.** |
| 1 | Liv. aut Trog. |
| 2 | Liv. 55 aut Trog 35 cf. prol. 35. |
| 3 | Sall. hist. |
| 4 | Liv. 52. |
| 5 | Liv. 2, 10. |
| 6 | Liv. 110. |
| 7 | Liv. 128 aut Trog. 42. |
| 8 | Trog. 29—30. |
| 9 | Liv. 19. |
| 10 | Liv. |
| 11 | Caes. b. Gall. 4, 20. |
| | **Liber tertius.** |
| | **Caput I.** |
| 1 | Ann. Val. |
| 2 | Ann. Cat. |

| Str. | |
|---|---|
| | **Caput II.** |
| 1 | Liv. 47. |
| 2 | Liv. 17. |
| 3 | Ann. Coel. |
| 4 | Trog. 6. |
| 5 | Trog. 2. |
| 6 | Trog. 4. |
| 7 | Trog. 6. |
| 8 | Trog. 3—6. |
| 9 | Trog. 30—39. |
| 10 | Trog. 6. |
| 11 | Trog. 26 cf. prol. 26. |
| | **Caput III.** |
| 1 | Liv. 15. |
| 2 | Coel. cf. Liv. 25, 23. |
| 3 | Liv. 1, 53. |
| 4 | Trog Just. 1, 10 |
| 5 | Trog. 26. |
| 6 | Coel. cf. Liv. 25, 8—9. |
| 7 | Trog. 15—16. |
| | **Caput IV.** |
| 1 | Liv. 25, 48. |
| 2 | interp. |
| 3 | Trog. 20—21. |
| 4 | interp. |
| 5 | Trog. 11—12. |
| 6 | Trog. 18. |
| | **Caput V.** |
| 1 | Trog. 6. |
| 2 | Ann. Val. cf Liv. 40, 51. |
| 3 | Liv. 52. |
| | **Caput VI.** |
| 1 | Ann Coel. |
| 2 | Ann. Coel. |
| 3 | Trog. 23—25. |
| 4 | Liv. 14. |
| 5 | Ann. Coel. |
| 6 | Trog. 4. |
| 7 | Trog. 15 cf. prol 15. |

| Str | Caput VII. |
|---|---|
| 1 | Liv. 93. |
| 2 | Caes. b. Gall. 7, 40. |
| 3 | Liv. aut Sall. |
| 4 | Trog. Just. 1, 7. |
| 5 | interp. |
| 6 | Trog 6. |
| | Caput VIII |
| 1 | Trog 23—25. |
| 2 | Trog. 6. |
| 3 | Trog. Just. 1, 7. |
| | Caput IX. |
| 1 | Liv. 26, 45. |
| 2 | Liv. 24. 46 |
| 3 | Sall. Jug. c. 93. |
| 4 | Liv. 17. |
| 5 | Trog. 3 - 5. |
| 6 | Trog. 5. |
| 7 | Trog 5. |
| 8 | Trog. 23—25. |
| 9 | Trog. 5. |
| 10 | Trog 31—32. |
| | Caput X. |
| 1 | Ann. Cat. cf. Liv 34, 20. |
| 2 | Liv. 17. |
| 3 | Trog. 19. |
| 4 | Trog. 19. |
| 5 | Trog. 18 sqq |
| 6 | Liv. 52—54. |
| 7 | Sall. aut Liv. |
| 8 | Trog. 6. |
| 9 | Liv. 18—19. |
| | Caput XI |
| 1 | Trog. 6. |
| 2 | Trog. 6. |
| 3 | Trog 6. |
| 4 | Liv. 52. |
| 5 | Trog. 6. |
| | Caput XII |
| 1 | Trog. 6 |
| 2 | Trog. 6. |
| 3 | interp |

| Str. | Caput XIII. |
|---|---|
| 1 | Ann. Val. cf. Liv. 5, 46. |
| 2 | Ann. Coel. |
| 3—5 | interp. |
| 6 | Sall. hist. |
| 7 | Liv. 118 - 119. |
| 8 | Liv. 118 - 119. |
| | Caput XIV. |
| 1 | Liv. 115. |
| 2 | Liv. 23, 19. |
| 3 | Liv. 119. |
| 4 | Liv. 119 |
| | Caput XV. |
| 1 | Ann. Val. cf. Liv. 5, 48. |
| 2 | interp. |
| 3 | Liv. 23, 19. |
| 4 | Front. |
| 5 | Trog. aut Liv. |
| 6 | Trog. 6. |
| | Caput XVI. |
| 1 | Liv. 23, 15. |
| 2 | Liv. 18—19. |
| 3 | Liv. 18—19. |
| 4 | Ann. Coel. |
| 5 | Trog. 6. |
| | Caput XVII. |
| 1 | Liv. 18. |
| 2 | Liv. 40, 25—28. |
| 3 | Ann. Coel. |
| 4 | Caes. b. c. 3, 66. |
| 5 | Sall. aut Liv. |
| 6 | Caes. b. Gall. 5, 48. |
| 7 | Caes b. Gall. 3, 17. |
| 8 | Liv. 76. |
| 9 | Liv. 55. |
| | Caput XVIII |
| 1, 2, 3 | Liv, 26, 11—12. |